












Rarissime

Cumston
Hobbes
[illegible]

42121

APHORISMORVM HIPPOCRATIS SECTIONES SEPTEM,

*

Ex Franc. Rabelæsi recognitione.

Quibus ex Ant. Musæ Commentariis adiecimus & Octauam: & quædam alia, quæ sequens indicabit pagella.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI,
1543.

HIPPOCRATIS Aphoriſmorum Sectiones.

His acceſsit Octaua, ex Antonii Muſæ Commentariis.

Eiuſdem Præſagiorum, lib. III.

Eiuſdem De ratione uictus in morbis acutis, lib. IIII.

Eiuſdem De natura humana.

GALENI Ars medicinalis.

Aphoriſmi Hippocratis Lingua Ionica, ex fide uetuſtiſsimi codicis.

ἹΠΠΟΚΡΆΤΟΥΣ

ἐπιτάφιον.

Θεσσαλὸς Ἱπποκράτης, Κῶος γένος ἐνθάδε κεῖται,
Φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς.
Πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης,
Δόξαν ἑλὼν πολλὴν οὐ τύχῃ, ἀλλὰ τέχνῃ.

ἀγαθῇ τύχῃ.

CLARISSIMO DOCTISS.'QVE VIRO D. Gotofredo ab Estissaco Malleacensi episcopo Franciscus Rabelæsus medicus, S. P. D.



VVM anno superiore Monspessuli aphorismos Hippocratis, et deinceps Galeni artẽ medicam frequẽti auditorio publicè enarrarẽ, Antistes clarißime, annotaueram loca aliquot, in quibus interpretes mihi non admodum satisfaciebant. Collatis enim eorum traductionibus cum exẽplari Græcanico, quod, præter ea quæ uulgò circunferũtur, habebam uetustißimum, literisq; Ionicis elegantißimè castigatißimeq; exaratum, comperi illos quàm plurima omisisse, quædam exotica & notha adiecisse, quædam minus expreßisse, non

pauca inuertiſſe uerius quàm uertiſſe. Id quod ſi uſquàm alibi uitio uerti ſolet, eſt etiam in medicorum libris piaculare. In quibus uocula unica, uel addita, uel expuncta, quin & apiculus inuerſus, aut præpoſtere adſcriptus, multa hominũ millia haud raro neci dedit. Neque uero hæc à me cò dici putes, uelim, ut uiros bene de literis meritos ſuggillem, εὐφήμει γάρ. Nam eorum laboribus & plurimum deberi arbitror, & me non leuiter profeciſſe agnoſco. Sed ſicubi ab eis erratum eſt, culpam totam in codices, quos ſequebãtur eiſdẽ næuis inuſtos, reijciendam cenſeo. Annotatiunculas itaque illas Sebaſtianus Gryphius chalcographus ad unguem cõſummatus, & perpolitus, cùm nuper inter ſchedas meas uidiſſet, iandiuq; in animo haberet priſcorũ medicorũ libros, ea qua in cæteris utitur diligẽtia, cui uix æquiparabilẽ reperias, typis excudere, cõ-

tendit

ꝫendit à me multis uerbis, ut eas ſinerem in communẽ ſtudioſorũ utilitatẽ exire. Nec difficile fuit impetrare, quod ipſe alioqui ultrò daturus eram. Id demum laborioſum fuit, quòd quæ priuatim nul lo unqnàm edendi conſilio mihi excerpſeram, ea ſic deſcribi flagitabat, ut libro adſcribi, eoq́; in enchiridij formam redacto, poſſent. Minus enim laboris, nec pluſculum fortaſſe negotij fuiſſet, omnia ab integro Latinè reddere. Sic quia libro ipſo erant quæ annotaueram altero tãto prolixiora, ne liber ipſe deformiter excreſceret, uiſum eſt loca dũtaxat, ueluti per tranſennã, indicare, in quibus Græci codices adeundi iure eſſent. Hic non dicam qua ratione adductus ſim, id quicquid eſt laboris, tibi ut dicarem. Tibi enim iure debetur quicquid efficere opera mea poteſt: qui me ſic tua benignitate uſq; fouiſti, ut quocunq; oculos circunferam, οὐδὲν ἢ οὐρανὸς

ἰδὲ θάλασσα munificentiæ tuæ sensibus meis obuersetur: qui sic pontificiæ dignitatis, ad quam omnibus Senatus Populiq; Pictonici suffragijs assumptus es, munia obis, ut in te, tanquàm in celebri illo Polycleti canone, nostrates episcopi absolutißimum probitatis, modestiæ, humanitatis exemplar, ueramq; illam uirtutis ideam habeant, in quam cõtuentes, aut ad propositum sibi speculũ se, moresq; suos componant, aut (quod ait Persius) uirtutem uideãt, intabescantq; relicta. Boni itaque omnia consule, & me, quod facis, ama. ἔῤῥωσο ἀνὴρ εὐδοκιμώτατε καὶ εὐτυχῶν διατέλει.

Lugduni Idibus Iulij,

1532.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS SECTIO PRIMA, Nicolao Leoniceno Vicentino interprete.

APHORISMVS I.



ITA breuis, ars uerò longa, occaſio autẽ pręceps: experimentum periculoſum, iudiciũ difficile. Nec ſolum ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſsidentes, & exteriora. II.

IN perturbationibus uentris, & uomitibus * ſpontaneis, ſi talia purgentur qualia purgari oportet, confortet, & leuiter ferunt: ſin minus, contrá. Sic & uaſorum inanitio, ſi talis fiat qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: ſin minus, contrà. Inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non. III.

*ſpontinis

HAbitus exercitatorũ qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint. neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere.

Cùm uerò non quiescant, neque possunt proficere in melius: reliquum est igitur ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat. neq; compressiones ad extremum ducendę: periculosum enim. Sed qualis natura fuerit ei⁹ qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt, periculosæ. & rursus, refectiones, cùm extremæ fuerint, periculosæ.

IIII.

VIctus tenuis, atq; exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis uerò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

V.

IN tenui uictu ægri delinquunt: quò fit ut magis lædantur. Quicunq; enim error cõmittitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulò pleniori uictu. propterea etiã sanis periculosus existit ualde exquisitus uictus & constitutus: quoniam errores grauius ferũt. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò plenior, magis periculosus.

VI.

VI.

EXtremis morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

VII.

VBi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extremè tenuiſsimo uictu utendum eſt: Vbi uerò non, ſed pleniorem uictum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum eſt, quantò morbus extremis eſt mollior.

VIII.

QVando morbus in ſuo uigore conſtiterit, tunc uictu tenuiſsimo utendum eſt.

IX.

COniectari autẽ oportet, an æger cum uictu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat: & nunquid prius ille deficiat, nec poſsit cum uictu perdurare, uel morbus antè deficiat, atque hebeteſcat.

X.

QVibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, his ſta[illegible] tenuis uictus adhibendus eſt. quibus uerò poſterius debet conſiſtere, his & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus. prius uerò uberius agendum, ut æger ſufficiat.

XI.

IN accesſionibus abſtinere oportet. nam cibum dare, nocuum eſt. & quibus per circuitum fiunt acceſsiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet. XII.

Galenus primo de criſibus.

ACceſsiones uerò & conſtitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum ſucceſsiua incrementa, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla fiāt. Sed & ex his quæ mox apparent, indicia ſumuntur: quemadmodum in morbo laterali, ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breuiat: ſi uerò poſtea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & ſudores, quęcunque apparuerint, uel bonam morborum iudicationem, uel malam, uel breues, aut longos fore morbos oſtendunt.

XIII.

SEnes facilimè ieiunium ferunt: ſecundo loco qui ætatem conſiſtentem habent: minus adoleſcentes: omnium minimè pueri, præſertim qui inter ipſos ſunt uiuidiores. XIIII.

QVi creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egēt alimento, alioquin corpus abſumitur. Senibus uerò parum calidi innati ineſt: paucis

pro

propterea fomitibus egent, quia à multis extinguũtur. Hanc etiã ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

XV.

VEntres hyeme & Vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletæ.

XVI.

VIctus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè uerò pueris, & aliis qui tali uictu uti consueuerunt.

XVII.

ET quibus semel, aut bis, & quibus plurane, an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini. uide gal. lib. 8.

XVIII.

AEstate, & Autumno cibos difficilimè ferunt, hyeme, facilimè: Secundum locum Ver habet.

XIX.

HIs qui per circuitus, accessionem habent, nihil dare oportet, neq; cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

tiones. XX.

QVæ iudicantur, & iudicata ſunt integre, neq; mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter iritando, ſed ſinere. XXI.

QVæ ducere oportet, quò maxime natura uergit per loca conferentia eò ducere. XXII.

COncocta medicari, atq; mouere, non cruda, nec in principiis, modò non turgeant, plurima uerò non turgent.

XXIII.

DEiectiones, non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſsit tolerare. XXIIII.

IN acutis paſsionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

XXV.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt: ſi contrà, difficulter.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS SECTIO SECVNDA.

APHOR. I.


N QVO morbo ſomnus laborem facit, mortale: ſi uerò iuuat, non mortale.

II.

VBi ſomnus delirium ſedat, bonum.

III.

SOmnus, atque uigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum.

IIII.

NOn ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod modum naturæ exceſſerit.

V.

SPontaneæ laſsitudines, morbos prænuntiant.

VI.

QVicunq; dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non ſentiunt: his mens ægrotat.

VII.

QVæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quę uerò breui, breuiter.

VIII.

SI à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti ſignificatur. quod ſi non aſſumente cibum

bum hoc accidat, ſcire oportet quòd indiget euacuatione. IX.

COrpora cum quiſpiam purgare uoluerit, oportet fluida facere. X.

NOn pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes. XI.

FAcilius eſt impleri potu, quàm cibis. XII.

QVæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere con ſueuerunt. XIII.

QVibuſcunque criſis, id eſt iudicatio fit, his nox grauis ante acceſſionem. Quæ uerò ſubſequitur magna ex parte leuior exiſtit. XIIII.

IN profluuiis alui, mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat. XV.

VBi fauces ęgrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet. Nam ſi bilioſæ fuerint, corpus unà ægrotat. ſi uerò ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire.

XVI.

VBi fames, laborandum non eſt.

XVII.

VBi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit: oſtendit autem

autem ſanatio.

XVIII.

EOrum quæ uniuerſim & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

XIX.

ACutorum morborum non omnino ſunt certæ prænuntiationes aut ſalutis, aut mortis.

XX.

QVibus iuuenibus adhuc aluus humecta eſt, his ſeneſcentibus exiccatur. Quibus uerò iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, his ſeneſcentibus humectatur.

XXI.

FAmem, thorexis (id eſt, uini potio) ſoluit.

XXII.

QVicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. Et quicunque ex euacuatione, repletio. & aliorum contrarietas.

XXIII.

ACuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

XXIIII.

SEptenorum, quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem & undecimus contemplabilis. Ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus uerò & decimusſeptimus contemplabilis. ipſe ſiquidem quartus eſt à quartodecimo: ſeptimus uerò, ab undecimo.

XXV.

Aeſti

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues: Autumnales, longæ, & maximè quæ hyemem attingunt. XXVI.

FEbrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.

XXVII.

HIs qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueuêre. XXVIII.

FEbricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui, uel etiam plus quàm ratio postulat, contabescere, malum. hoc enim morbi longitudinem, hoc uerò imbecillitatem significat.

XXIX.

QVum morbi inchoant, si quid mouendum uidetur, moue. quum uerò consistunt, ac uigent, melius est quietem habere. XXX.

CIrca initia, & fines, omnia imbecilliora. quum uerò consistunt, fortiora. XXXI.

EIus qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

XXXII.

Om

OMnes ferè qui male ſe habent circa initia bene cibati, neque quicquam proficientes, circa finem rurſus cibum non appetunt: qui uerò circa initia cibum ualde non appetunt, poſtea bene appetentes, ii melius euadunt. XXXIII.

IN quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad illa quæ offeruntur, bonum. contrà uerò ſe habere, malum.

XXXIIII.

IN morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil iſtorum congruit.

XXXV.

IN quouis morbo partes ad umbilicum & imum uentrem attinentes, craſsitudinem habere melius eſt. multum uerò extenuari, ac contabeſcere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculoſum. XXXVI.

QVi ſalubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati citò exoluuntur, & qui prauo utuntur cibo.

XXXVII.

QVi bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

XXXVIII.

PArum deterior potus, aut cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.

XXXIX.

SEniores iuuenibus plurimum ægrotant minus. Qui uerò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

XL.

RAucedines, & grauedines in ualde senibus coctionem non admittunt.

XLI.

QVi frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, derepente moriuntur.

XLII.

SOluere morbum, quem apoplexiam uocant, fortem, impossibile: debilem uerò, non facile.

XLIII.

STrangulati, ac dissoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

XLIIII.

QVi natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

XLV.

QVicunq; iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & uictuum quoque liberantur.

XLVI.

Duob

DVobus doloribus simul eundem locum infestantibus, uehementior alterum obscurat. XLVII.

DVm pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm iam confecto. XLVIII.

IN omni corporis motu ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. XLIX.

QVi consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, nõ consuetis, fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt. L.

QVæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari. LI.

PLurimum atque repentè euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimis est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum quum ab altero ad alterum transitus fit. LII.

OMnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio uisum est. LIII.

QVicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius commutant his qui siccas habẽt. Ad senectam uerò deterius cõmutãt. nam senescẽtibus magna ex parte exiccãtur. LIIII.

Magnitudo corporis iuuentæ quidem, nec indecens, neque illiberalis: senectæ uerò inutilis, & deterior paruitate.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS Sectio tertia.

APHOR. I.

MVTATIONES temporũ potissimum pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo. II.

NAturarum, hæ quidem ad æstatem, hæ uerò ad hyemem bene, maléue se habent. III.

MOrbi quoque alii ad alia bene, uel male se habent, & quædã ætates ad tempora, & loca, & uictus genera. IIII.

In

IN temporibus, quando eodem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet. V.

AVstri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet. VI.

QVando æstas fit Veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet. VII.

IN siccitatibus febres acutæ fiunt: & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit cōstitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare. VIII.

IN constātibus temporibus, quum tempestiue tempestiua redduntur, morbi constantes, & boni iudicii fiunt. In inconstantibus autem, inconstantes, & mali iudicii. IX.

AVtumno morbi acutissimi, atq; exitiales, maxima ex parte. Ver uerò saluberrimum, & minime exitiale.

X.

AVtumnus tabidis malus.

XI.

DE temporibus, ſiquidẽ hyems ſicca, & Aquilonia fuerit, Ver uerò pluuioſum, & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas, & lippitudines, Grȩci ophthalmias uocant, & inteſtinorum difficultates fieri, præcipuè uerò mulieribus, & uiris qui natura ſunt humidiores. XII.

SI uerò hyems auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit, Ver autem ſiccũ & Aquiloniũ, mulieres, quibus partus ad Ver ineſt, ex quacunque occaſione abortiunt: quæ uerò parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt, quare uel ſtatim intereunt, uel tenues, & ualetudinarii uiuũt. Cæteris uerò mortalibus difficultates inteſtinorum, lippitudines ſiccæ fiunt. Senioribus autẽ deſtillationes quæ citò interiment. XIII.

SI uerò æſtas ſicca fuerit, & Aquilonia, Autumnus uerò pluuioſus, & Auſtralis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines, atq; grauedines, quibuſdam autem & tabes. XIIII.

SI uerò Aquilonius ſit, & ſiccus: his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet, reliquis autem erunt

lipp

lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & gra uedines. nonnullis uerò & atræ biles.

X V.

EX anni autem conſtitutionibus, quod in totum dixerim, ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores & minus mortiferæ.

X V I.

MOrbi in pluuiarũ multitudine, magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias Græci uocant, & anginæ. In ſiccitatibus autem, tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, ſtillicidia urinæ, & difficultates inteſtinorum.

X V I I.

QVotidianæ autem conſtitutiones, Aquiloniæ quidem corpora denſant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſederit, dolorem augent. Auſtrinæ diſſoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciunt, oculis atq; corporibus difficilem motum præſtant, & aluos humectant.

X V I I I.

PEr tempora anni, Vere quidem, & prima æſtate pueri, & qui hos ſequũtur

ætate, optimè degunt, & ſani ſunt maximé. Aeſtate uerò & Autumno, uſq; ad aliquid ſenes. Reliquum, & hyeme, qui mediam ætatem habent. XIX.

MOrbi, omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam uerò magis in quibuſdam ipſorum & fiunt & excitantur. XX.

VEre etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia ſanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tuſſes, & impetigines, & uitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores. XXI.

AEſtate autem, nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianę* febres, & quartanę, & uomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, genitalium putredines, & ſudamina. XXII.

* πλεῖστοι. id eſt, plurimæ. Leonic. uidetur legiſſe πυρετοί.

AVtumno uerò, & plurimi uel æſtiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & ſtillicidia urinæ, & difficultates inteſtinorum, & leuitates inteſtinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes, (quas Græci aſthmata uocant)

cant)

cant) *ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles. XXIII. *uoluulĩ

HYeme uerò, morbi laterales & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tuſſes, dolores pectoris & laterũ, atq; lumborum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ. XXIIII.

IN ætatibus autem talia contingunt, paruis & nuper natis puerulis, oris ulcera (quæ aphthæ uocantur) uomitus, tuſſes, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates. XXV.

IN progreſſu uerò quum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulſiones, alui profluuia, & maximè quum caninos edunt dentes, & his præſertim pueris, qui craſsiſsimi ſunt, & aluos duras habent. XXVI.

QVum uerò iam magis adoleuerint, tonſillæ & uertebræ quæ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, (quos Græci aſthmata uocant) calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, uerrucæ, quas Græci acrochordonas uocant, ſatyriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, ſed præcipue antedicta. XXVII.

GRandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem plurima ex his,

& febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia ſanguinis. XXVIII.

PLurimæ autem paſsiones puerulis iudicantur. nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in ſeptem menſibus, nonnullæ uerò in annis ſeptem, quædam uerò iam ad pubem accidentibus, quæ uerò permanſerint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis quum menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt. XXIX.

ADoleſcẽtib⁹ autẽ ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutę, morb⁹ comitialis, & alii, ſed pcipuè antedicti. XXX.

VLtra hanc ætatem aſthma, id eſt, creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenętides, ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates inteſtinorũ, leuitates inteſtinorum, hæmorrhoides. XXXI.

SEnibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſe, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſsiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, uiſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.

Apho

APHORISMORVM HIPPOCRATIS Sectio quarta.

APHOR. I.

TERO gerentes ſunt medicandæ: ſi materia turget quarto menſe, & uſq; ad ſeptimum, ſed has minus. Iuniora autem & ſeniora uereri oportet. II.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, utilia: quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. III.

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt. Cõtraria uerò grauiter. IIII.

MEdicari æſtate ſuperiores magis, hyeme uerò inferiores. V.

SVb cane, & ante canem difficiles ſunt medicationes. VI.

GRaciles & facilè uomentes purgare ſuperius, cauentes hyemem. VII.

VOmentes uerò difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per inferiora, cauentes æſtatem. VIII.

Tabid

TAbidos uerò, cauentes ad ſuperiores purgationes. IX.

MElancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes. X.

MEdicari in ualde acutis: ſi materia turget, eadem die. Tardare enim in talibus malum eſt. XI.

QVibus tormina, & circa umbilicũ labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter ſoluitur, in aquam intercutem ſiccam firmatur. XII.

QVorum alui inteſtinorum leuitate laborant, hyberno tempore ſupra purgari, malum. XIII.

AD helleboros qui nõ facilè ſupra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humeƈtanda ſunt. XIIII.

QVum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad ſomnos uerò, atq; quietem minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus. XV.

QVum uolueris magis ducere helleborum, moue corpus: quum uerò ſiſtere, ſomnum facito, & non moueto.

Carnes

XVI.

CArnes ſanas habentibus, helleborus periculoſus. Facit enim conuulſionē.

XVII.

SI quis febrem non habens, abſtineat à cibo, & cordis morſum, ſeu uertiginē patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat.

XVIII.

SVpra præcordia dolores, purgatione indigere per ſupiora ſignificant. Quicunque uerò inferiora moleſtant, per inferiora.

XIX.

QVi in medicamentis purgati, non ſitiunt, non quieſcunt priuſquam ſitiant.

XX.

NOn febricitantibus ſi tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere ſignificatur.

XXI.

DEiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſponte uenientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peſsimæ: & quantò colores magis praui fuerint plures, peius: cū medicamento uerò melius, & quantò colores plures non praui.

XXII.

MOrbis quibuſlibet incipientibus ſi atra bilis, uel ſupra, uel infra exierit,

erit, letale. XXIII.

QVibuſcunq; ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſiue uti ſanguis niger de ſubter exierit, poſtridie moriuntur. XXIIII.

DIfficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile incœperit, letalis eſt.

XXV.

SAnguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, malus: infra autem, bonus eſt.

XXVI.

A Difficultate inteſtinorum habito, ſi ueluti carunculæ exeant, letale eſt.

XXVII.

QVibus in febribus ſanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte quum reficiuntur, alui his humectantur.

XXVIII.

QVibus bilioſæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas, ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat. XXIX.

QVibus in febribus ſexto die rigores fiunt, difficile iudicium ſequitur. XXX.

QVibuſcunq; acceſsiones fiũt, quacunque hora febris dimiſerit, ſi eadem

dem

dem cras occupauerit, iudicium habent difficile. XXXI.

LAſsitudinem habentibus in febribus, in articulos & circa maxillas potiſsimum abſceſſus fiunt. XXXII.

QVibuſcunq; reſurgentibus ex morbis, ſi quid laborauerint, hîc fiunt abſceſſus. XXXIII.

SEd & ſi ante morbum aliqua parte doluerit, hîc morbus firmatur.

XXXIIII.

SI à febre habito tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſuperuenerit, letale eſt. XXXV.

SI à febre habito collum peruertitur, & uix poteſt deuorare, ſine ullo tumore, letale eſt. XXXVI.

SVdores febricitanti ſi incœperint, boni, & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo, & uigeſimo, & uigeſimoſeptimo, & trigeſimoquarto. hi enim ſudores iudicant morbos. Qui uerò non ita fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

XXXVII.

FRigidi ſudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, long

longitudinem morbi ſignificant.

XXXVIII.

QVa parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum.

XXXIX.

ET qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.

XL.

ET ubi in toto corpore mutationes, & ſi corpus refrigeretur, uel rurſus calefiat, uel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi ſignificat.

XLI.

SVdor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat. Si uerò cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet quòd euacuatione indiget.

XLII.

SVdor multus calidus, uel frigidus ſuperfluens, frigidus magis, calidus minus, ſignificat morbum.

XLIII.

FEbres quæcunq; non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ. Quocunq; autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur.

XLIIII.

QVibus febres longæ, his tubercula, uel labores in articulis fiunt.

XLV

XLV.

QVibus tubercula, uel in articulis labores fiunt: hi pluribus utuntur cibis. XLVI.

SI rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili: letale eſt. XLVII.

EXcreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ, omnes malæ. & ſi bene exeunt, ſiue per alui excretionem, ſiue per urinas: bonæ. ſi uerò non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

XLVIII.

IN febribus non intermittẽtibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & ſitim habeat, letale eſt.

XLIX.

IN febre non intermittente, ſi labrum, uel oculus, uel naſus, uel ſupercilium peruertatur, uel nõ uideat, uel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. L.

VBi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, letale. LI.

IN febribus, abſceſſus qui ad primas iudicationes non ſoluunt, longitudinem morbi ſignificant.

LII.

QVicunq; in febribus, uel in aliis morbis ſponte illachrymant, nihil abſurdum. qui uerò non ſponte, abſurdius. LIII.

QVibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur, his fortes fiunt febres. LIIII.

QVibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter iritantes in febribus ardẽtibus fiunt, non multum ſiti infeſtantur. LV.

EX inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias. LVI.

FEbricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. LVII.

QVi à conuulſione, aut diſtentione neruorum tenetur, febre ſuperueniente liberatur. LVIII.

A Febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio. LIX.

TErtiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſsimum eſt, iudicatur. LX.

QVibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum. LXI.

Febric

FEbricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

LXII.

QVibus in frebribus morbus regius ante diem septimũ accidit, malum*. * Nisi humores ex aluo prodeant.

LXIII.

QVibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur. LXIIII.

QVibus in febribus morbus regius, septimo, uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo superuenerit, bonum: nisi dextrum ilium obduruerit, si uerò nõ, non bonum. LXV.

IN febribus circa uentriculum & fortis æstus, & cordis morsus, uel dolor, malum. LXVI.

IN acutis febribus conuulsiones, & circa uiscera dolores fortes, malum.

LXVII.

IN febribus, ex somnis timores, uel conuulsiones, malum.

LXVIII.

IN febribus spiritus offendens, malum. conuulsionem enim significat.

LXIX.

QVibus urinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febre, multitudo ueniens

niens ex his tenuis iuuat. præcipue uerò tales ueniunt quibus ab initio, uel breui ſedimen ineſt. LXX.

QVibus urinæ perturbatæ quales ſunt iumentorum, his dolor capitis uel adeſt, uel aderit. LXXI.

QVibus ſeptima iudicatur, his nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia ex ratione. LXXII.

QVibus urinæ albæ, & perſpicuæ, malæ: præſertim ſi in delirantibus appareant. LXXIII.

QVibus ilia ſuſpenſa murmurant, lumborum dolore ſuperueniẽte, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proueniat. hæc uerò in febribus. LXXIIII.

QVibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri. Si uerò etiam ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit. LXXV.

SI ſanguinem, aut pus mingat: aut renum, aut ueſicæ exulcerationem ſignificat.

LXXVI.

Qui

QVibus in urina crassa existente, carunculę paruę, aut ueluti capilli unà exeunt, his à renibus excernitur.

LXXVII.

QVibus in urina crassa, furfurea quędam simul exeunt, his uesica scabie laborat.

LXXVIII.

QVicunq; spōte sanguinem mingunt, his à renibus uenulam ruptam significatur.

LXXIX.

QVibus in urinis arenosa subsistunt, his uesica laborat calculo.

LXXX.

SI sanguinem mingant, aut grumos, uel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem, & pectinem, & men: circa uesicam labor est.

LXXXI.

SI sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, uesicæ exulcerationem significat.

LXXXII.

QVibus in urinaria fistula tubercula nascuntur: his suppuratione facta, & eruptione, solutio.

LXXXIII.

MIctio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem.

APHORISMORVM HIPpocratis Sectio quinta.

APHOR. I.


ONVVLSIO ex helleboro, letalis est. II.

COnuulſio ex uulnere, letalis eſt.

III.

VBi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut conuulſio ſuperueniens, malum. IIII.

EX ſuperflua purgatione, conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum.

V.

SI ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut ubi ad horam peruenerit qua ſoluuntur crapulæ, uocem recuperet. VI.

QVicunq; à diſtentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: ſi uerò has effugerint, ſani fiunt. VII.

QVibuſcunque morbi comitiales fiũt, ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuſcunq; autem uigeſimoquinto, commoriuntur. VIII.

Qui

QVicunq; morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus nō repurgantur, hi ad suppurationem uertũtur. IX.

TAbes fiunt maxime ætatibus, à decimooctauo usq; ad trigesimumquintum. X.

QVicunq; ab angina liberantur, his ad pulmonem uertitur, & in septē diebus pereunt: si uerò has effugerint, suppurantur. XI.

QVi tabe molestantur, si sputũ quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, letale. XII.

QVibuscunq; tabe laborantibus capilli à capite defluunt, hi alui profluuio superueniente moriuntur. XIII.

QVicunque spumosum sanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit. XIIII.

ATabe habito profluuium alui superueniens, letale. XV.

QVicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die à qua fit ruptio, liberantur. Si uerò non, ad tabem transeunt. XVI.

CAlidum ubi quis ſæpius eo utatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia ſanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ mors. XVII.

FRigidum autem, conuulſione diſtentiones, liuores, rigores febriles.

XVIII.

FRigidum inimicum oſsibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum uerò, utile. XIX.

QVæcunq; refrigerata ſunt excalefacere oportet, exceptis his quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt. XX.

VLceribus, frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulſiones, diſtentiones. XXI.

ESt autem ubi in diſtentione ſine ulceratione, iuuene bene carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat. Calor autē, hęc ſoluit. XXII.

CAlidum ſuppuratorium non in omni ulcere, magnum ad ſecuritatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat: rigores, conuulſiones, & diſtentiones mitigat: & ex his quæ ad caput attinent, eius ſoluit grauitatem. Plurimum autem

con

confert ofsium fracturis, fed nudis præcipue, eorumque maxime qui in capite ulcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, uel ulcerantur, & repentibus comefis, fedi, pudendis, utero, uesicæ: his calidum amicum, & indicans: frigidum inimicum, & perimens. XXIII.

IN his frigido utendum unde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa unde influit: & quæcũq; inflammationes, uel inflammina ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam ueteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum iuuat: nam exulceratum lædit. XXIIII.

FRigida qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouẽt, & sanguinem, & destillationes. XXV.

TVmores articulorum, atque dolores absque ulcere, & podagricos quoq;, atque conuulsa, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitq; dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit. XXVI.

AQua quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissima est. XXVII.

QVi noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superdormie-

rint, bonum. XXVIII.

SVffitus aromatum muliebria ducit. ſæpius uerò ad alia utilis eſſet, niſi capitis faceret grauitatem. XXIX.

GRauidas purgare turgente materia à quarto menſe uſq; ad ſeptimum, minus uerò has. Recentiores autem, & ſeniores uereri oportet. XXX.

MVlierem utero gerētem capi ab aliquo morbo acuto, letale eſt.

XXXI.

MVlier utero gerens ſanguine miſſo ex uena, abortit: & magis ſi fœtus ſit maior. XXXII.

MVlieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio.

XXXIII.

MEnſtruis deficientibus ſanguis ex naribus fluens, bonum.

XXXIIII.

MVlieri in utero gerenti ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat. XXXV.

MVlieri quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſuperueniens ſternutatio, bonum. XXXVI.

MVlieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus uenietes, pur-

gatio

gationem indicant esse necessariam.

XXXVII.

MVlieri utero gerenti si mammę graciles repentè fiant, abortit.

XXXVIII.

MVlieri utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterum abortit, & si quidem mamma dextera gracilis fiat, marem: si uerò sinistra, fœminam.

XXXIX.

SI mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

XL.

QVibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

XLI.

SI uelis noscere an conceperit mulier, quum dormitura est ei aquam mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

XLII.

MVlier si marem concepit, bene colorata est: si uerò fœminam, male colorata.

XLIII.

SI mulieris grauidæ, in utero sit erysipelas, letale.

XLIIII.

QVæcunque præter naturam tenues existentes utero gerunt, abortiunt prius quàm crassescant.

XLV.

Quæ

QVæcunq; mediocriter corpora habentes, abortiunt ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta: his acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fœtum continere, ſed diſrumpuntur. XLVI.

QVæcunq; preter naturã craſſæ, non concipiunt utero, his omentum os uteri comprimit: & prius quàm extenuentur, non concipiunt. XLVII.

SI uterus in coxam uergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum fieri. XLVIII.

FOetus, mares quidem in dextris: fœminæ uerò in ſiniſtris magis. XLIX.

VT ſecunda procidat, ſternutatorio appoſito, & nares apprehendito, & os. L.

MVlieri ſi uelis menſtrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone. LI.

MVlieri utero gerenti tenaſmus ſuperueniens, abortum facit. LII.

Hic adiectus eſt ex Græco codice ue tuſtiſsimo.

QVæ utero gerunt, his uteri os comprimitur. LIII.

MVlieri utero gerenti, ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat, ſi uerò mammæ ſolidæ

fue

fuerint, fœtum significant saniorem.

LIIII.

QVæ corrupturæ sunt fœtus, his mammæ extenuantur. Si uerò rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent.

L V.

QVibus os uteri durum est, his uteri os cōprimi est necessarium.

L V I.

QVæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.

L V I I.

IN fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum.

L V I I I.

SI menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

L I X.

REcto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium: hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.

L X.

SI mulier non concipit, scire autem uelis si conceptura sit, pannis circuntectam de subter suffias, & si odor uideatur per corpus ire ad nares, & os, scito quòd ipsa

ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt. LXI.

SI mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſsibile eſt fœtum eſſe ſanum. LXII.

SI mulieri ceſſent purgationes, neq; febris, neque rigor ſuperueniat, & faſtidia incidant, iudica ipſam in utero habere. LXIII.

QVæcunque frigidos, & ſpiſſos uteros habent, non concipiunt. Et quęcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque ſiccos, magis & adurentes. nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunque uerò ex utriſq; mediocrem habent temperaturam, hæ fœcundæ ſunt. LXIIII.

SImiliter autem & in maribus. aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, ut ſemen non tranſmittatur ad os: uel propter ſpiſsitudinem humor non exit foras: uel propter frigiditatem non concaleſcit, ita ut ad hunc colligatur locum: uel propter calliditatem hoc idem accidit. LXV.

LAc dare caput dolentibus, malum: malum uerò & febricitantibus, & quibus ilia ſuſpenſa murmurant, & ſiticulo-

ſis

ſis : malum autem & quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones, & quibus ſanguinis multi deiectio facta eſt. Conuenit autem & tabidis dare qui non ualde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, & præter rationem conſumptis.

LXVI.

QVibus tumores in ulceribus apparent non conuelluntur maxime, neque inſaniunt. Verum his euaneſcentibus derepente, quibuſdam à tergo cõuulſiones & diſtentiones fiunt: quibuſdam antè inſania, uel dolor lateris acutus, uel ſuppuratio, uel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſunt rubicundi.

LXVII.

SI in uulneribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum.

LXVIII.

MOlles, boni : crudi uerò, mali.

LXIX.

DOlenti partem capitis poſteriorem, in fronte recta uena inciſa prodeſt.

LXX.

RIgores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum ad caput: ſed & uiris parte corporis poſteriore magis, quàm anteriore, ueluti femorum

rum, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem est pilus. LXXI.

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si uerò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. LXXII.

QVibus cutes circuntenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur, quibus uerò laxæ & raræ, cum sudore moriuntur. LXXIII.

QVi regio morbo laborant, nō multum uentosi sunt.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS Sectio sexta.

APHOR. I.

IN longis leuitatibus intestinorum si ructus acidus fiat qui prius non erat, signum bonum. II.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur. Quibus uerò contraria, salubrius degunt. III.

In

IN longis difficultatibus inteſtinorum, inediæ ex faſtidio, malum, & cum febre, peius. IIII.

VVlnera circumglabra, praua ſunt. V.

DOlores qui ſunt in lateribus & pectoribus, atque aliis partibus, ſi multum differant perdiſcendum. VI.

REnum, & ueſicæ uitia in ſenioribus difficulter ſanantur. VII.

DOlores, & tumores uentris ſublimes leuiores. Qui uerò non ſublimes, fortiores. VIII.

AQua intercute laborantibus, ulceræ in corpore facta difficulter ſanantur. IX.

LAtæ puſtulæ non admodum pruriunt. X.

CAput dolenti, & circundolenti, pus, uel aqua, uel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit. XI.

ATra bile uexatis, & renum paſsionibus, hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum. XII.

A Diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi unà non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutem, uel tabem aduenire. XIII.

A Singultu habitum ſternutatio ſuperueniens liberat. XIIII.

AB aqua inter cutem habito, ſi aqua à uenis in uentrem defluxerit, ſoluitur morbus. XV.

A Longo alui profluuio habito, ſpontaneus uomitus ſuperueniens morbum ſoluit. XVI.

A Morbo laterali, uel pulmonia habito, alui profluuium aduenicns, malum. XVII.

LIppientem alui profluuio corripi, bonum. XVIII.

VEſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore, letale eſt. XIX.

QVum diſciſſum fuerit os, aut cartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coaleſcit. XX.

SI in uentrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. XXI.

IN inſanientibus ſi uarices, uel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio. XXII.

QVæcunque rupta ex dorſo ad cubitum deſcendunt, uenæ ſectio

ſol

soluit. XXIII.

SI timor, atq; mœstitia longo tempore habentes perseuerent, ex eo atra bilis significatur. XXIIII.

SI quod intestinorũ gracilium discindatur, non coalescit. XXV.

ERysipelas ab exterioribus uerti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum. XXVI.

QVi in febribus ardẽtibus tremores fiunt, delirio soluuntur. XXVII.

QVicunq; suppurati, aut aquam inter cutem patiẽtes uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua uniuersim effluxerit, omnes moriuntur. XXVIII.

EVnuchi, neq; podagra laborant, neq; calui fiunt. XXIX.

MVlier podagra nõ laborat, nisi menstrua defecerint. XXX.

PVer podagra non laborat ante usum uenereorum. XXXI.

DOlores oculorum meri potio, aut balneum, aut uenæ sectio, aut medicamentum epotum soluit. XXXII.

BAlbi ab alui profluuio maximè capiuntur. XXXIII.

QVi acidũ eructant: nõ ualde morbo laterali corripiũtur. XXXIIII.

QVicunq; calui ſunt, his magnæ uarices non fiunt. Quibus uerò caluis uarices magnæ ſuperueniunt, hi rurſus capillati fiunt. XXXV.

AQua inter cutem laborantibus tuſsis ſuperueniens, malum. XXXVI.

DIfficultatem urinæ uena ſecta iuuat: ſecare uerò interiores. XXXVII.

AB angina habito, ſi tumor fiat in collo, bonum. foras enim morbus deducitur. XXXVIII.

CAncros occultos omnes melius eſt non curare. Curati enim citò pereũt: non curati uerò, longius tempus perdurant. XXXIX.

COnuulſio fit, uel ex repletione, uel inanitione: ita uerò & ſingult9. XL.

QVibus dolor circa ilium fit abſque inflammatione, his febris ſuperueniens, morbum ſoluit. XLI.

QVibuſcunq; ſuppuratio in corpore exiſtẽs nõ innoteſcit, his ob craſsitudinẽ puris, aut loci, nõ innoteſcit. XLII.

MOrbo regio laborãtibus, ſi fiat hepar durum, malum. XLIII.

QVicunq; lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, his ſuperueniẽte longa difficultate inteſtinorũ, aqua

inter

inter cutem, aut leuitas inteſtinorum adue nit, & moriuntur. XLIIII.

QVibus ex ſtillicidio urinæ * ileos ſuperuenerit, in ſeptẽ diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente, ſatis urina fluxerit. XLV.

*Voluulus, Gaza. morbus inteſtini tenuioris. Celſus.

VLcera quæcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri. XLVI.

QVi gibbi ex aſthmate, aut tuſsi fiũt ante pubertatẽ, moriũtur. XLVII.

QVibuſcunq; uenæ ſectio, uel purgatio cum medicamento conuenit, hos Vere purgare, uel uenam incidere oportet. XLVIII.

LIenoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum. XLIX.

QVicunque morbi podagrici fiunt, hi ſedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt. L.

QVibuſcunque præciditur cerebrũ, his neceſſe febrem, & bilis uomitum ſuperuenire. LI.

QVicunque ſani, dolore capitis repente capiũtur, & ſtatim muti fiũt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. LII.

OPortet uerò & cõſiderare oculorum in dormientibus ſuſpectiones. Nam ſi quid album commiſsis palpebris ſubinſpicitur, neq; ex alui profluuio, aut medicaměti potione iſtud cõtingat, malum eſt ſignum, & letale ualde. LIII.

DEſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ uerò cum ſtudio * cum ſtudio, periculoſiores. LIIII.

* Serio, Gaza.

IN acutis paſsionibus quæ cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, malum. LV.

DOlores podagrici, Vere, & autumno magna ex parte mouentur. LVI.

IN morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus, ſtuporem corporis, uel conuulſionem, uel furorem, uel cæcitatem ſignificant. LVII.

APoplexiæ autẽ fiunt, maxime à quadrageſimo anno uſque ad ſexageſimum. LVIII.

SI omentum excidat, neceſſariò putreſcit. LIX.

QVibuſcunq; â coxẽdicũ dolore moleſtatis excidit coxa, & rurſus incidit, his mucores ſuperueniunt. LX.

QVibuſcunq; à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, his crus tabeſcit, & claudicãt, ſi nõ urãtur.

Aphor

APHORISMORVM HIPpocratis Sectio septima.

APHOR. I.


N morbis acutis, frigus partiũ extremarum, malum. II.

IN osse ægrotante caro liuida, malum est. III.

A Vomitu singultus, & oculorum rubor, malum. IIII.

A Sudore horror, non bonum. V.

A Furore difficultas intestinorum, uel aqua inter cutem, uel mentis alienatio, bonum. VI.

IN morbo diuturno fastidiũ cibi & deiectiones syncera, malum. VII.

EX multa potatione rigor & desipientia, malum. VIII.

A * Tuberculi intus ruptione, exolutio, uomitio, aut animi defectio fit. IX. *Vomicæ, Gaza.

A Profluuio sanguinis, desipientia, ac conuulsio, malum. X.

A B ileo, uomitus, singultus, desipientia, uel conuulsio, malum. XI.

A Morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. XII.

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum. XIII.

A B æstibus fortibus conuulsio, aut distentio, malum. XIIII.

IN capitis ictu obstupescentia, & desipientia, malum. XV.

A Sanguinis sputo, puris sputum, malum. XVI.

A Puris sputo phthisis, & fluxus: quum uerò sputum retinetur, moriuntur. XVII.

IN hepatis inflammatione singultus, malum. XVIII.

IN uigilia, conuulsio, uel desipientia, malum. XIX.

IN osis exutione erysipelas. XX.

A B erysipelate, putredo, aut suppuratio, malum. XXI.

Hic adiectus est ex Græco codice uetustissimo.

IN ueterno tremor, malum. XXII.

A Forti in ulceribus pulsu, profluuium sanguinis, malum. XXIII.

A Ventris dolore diuturno, suppuratio. XXIIII.

ADeiectione syncera difficultas intestinorum. XXV.

IN ossis præcisione* desipiētia, si in uacuum apprehenderit. XXVI. * stupor &

EX medicamenti potione conuulsio letalis est. XXVII.

IN forti dolore uentris, partium extremarum frigiditas, malum. XXVIII.

QVlieri utero gerēti, si tensio superuenerit, facit aborsum. XXIX.

QVando os, aut cartilago, aut neruus abscinditur in corpore, nō augetur,* XXX. * neque coalescit.

QVi alba pituita detinetur, si fortis uentris fluxus superuenerit, à morbo liberatur. XXXI.

QVibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit. XXXII.

QVibuscunque febricitantibus, in urinis fiunt sedimina, ueluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat. XXXIII.

QVibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant. XXXIIII.

QVibuscunque urinę distantes sunt, his turbatio fortis in corpore fit.

XXXV.

QVibus in urinis bullæ ſubſiſtunt, morbum renalem, & longũ ſignificant. XXXVI.

QVibus inſidẽs pingue, ac ſimul totum his, renum uitium acutum ſignificatur. XXXVII.

QVibus autem morbo renali laborantibus, prædicta accidunt ſigna doloresq́; circa ſpinæ muſculos fiunt, ſi quidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoq; exterius futuros expecta: ſi uerò dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius. XXXVIII.

QVicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi uerò cum febre, malum. Curare uerò acerbis, & refrigerantibus. XXXIX.

DEſtillationes in uentrem ſuperiorem ſuppurantur intra uiginti dies. XL.

SI quis ſanguinem minxerit, & grumos, & ſtillicidio urinæ laboret, & dolor inciderit in femur & imum uentrem, pectinemq́;, quæ circa ueſicam male ſe habere ſignificatur. XLI.

SI lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale

tale eſt melancholicum. XLII.

SI timor atque mœſtitia longo tempore hominem habentes perſeuerauerint, tale eſt melancholicum. XLIII.

SI ſenioribus ſupra modum purgatis, ſingultus ſuperuenerit, non bonum. XLIIII.

SI febris nõ ex bile habeat, multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit febris. XLV.

MVlier ambidextera non fit. XLVI.

QVicunq; ſuppurati urũtur, uel ſecãtur, ſi pus purum fluxerit, & albũ, euadunt: ſi uerò ſubcruentũ, & fœculentum, ac fœtidum, pereunt. XLVII.

QVorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & albũ, euadunt: in tunica enim his pus continetur. ſi uerò qualis amurca fluat, pereunt. XLVIII.

DOlores oculorum poſt meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ ſectione curato. XLIX.

AQua inter cutem laborans, ſi à tuſsi habeatur, deſperatus eſt. L.

VRinæ ſtillicidium, & mingendi difficultatem, uini potio & uenæ ſe-

ctio ſoluit, incidere autẽ interiores. LI.

AB angina habito, tumor, & rubor in pectore ſuperueniens, bonum: extra enim uertitur morbus. LII.

QVibus cerebrum ſphacelatum, id eſt corruptum eſt, in tribus diebus pereunt. ſi uerò hos euaſerint, ſani fiunt. LIII.

STernutamentũ fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aër enim intus contentus extra erumpit, ſonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus. LIIII.

QVicunque hepar circundolent, his febris ſuperueniens ſoluit dolorem. LV.

QVibus à uenis ſanguinem mittere confert, his Vere uenam oportet ſecare. LVI.

QVibus inter uẽtriculum, & ſeptum pituita repoſita eſt, et dolotẽ affert non habens exitum, neq; ad alterum uentrem: his per uenas ad ueſicã pituita uerſa ſoluitur morbus. LVII.

QVibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his uenter aqua repletur, & moriuntur. LVIII.

Alyce,

ALyce, id est, anxietudo, oscitatio, horror, uinum æquale ęquali potum soluit ægritudinem. LIX.

QVibus in urinario meatu tubercula fiunt, his suppuratione facta, & eruptione, soluitur dolor. LX.

QVibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri. LXI.

COrporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere cõuenit. fames enim corpora siccat. LXII.

SI à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repentè superueniat, & nisi uix deuorare non posit, letale. LXIII.

SI febricitanti collũ peruertitur ut deuorare nõ posit sine ullo colli tumore, exitiosum est. LXIIII.

Duo sequentes adiecti sunt ex codice Græco uetustissimo.

VBi in toto corpore mutationes et corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat: longitudo morbi significatur. LXV.

SVdor multus, calidus, uel frigidus, semper fluens, humorem abduci, robusto quidem suprà, debili uerò infrà significat. LXVI.

FEbres quæcũq; nõ intermittentes, tertio die uehementiores fiunt, pericu-

losæ. Quocunq; autem modo intermiſerint, ſecuritatẽ ineſſe ſignificatur. LXVII.

QVibus febres longæ, his uel uomicæ uel in articulos dolores decumbunt. LXVIII.

QVibus uomicæ diutinæ aut in articulos dolores ex febre decumbũt, hi cibo pleniore utuntur. LXIX.

SI quis cibum febricitanti dederit, ut ſano robur, ſic laboranti morbus.

LXX.

QVæ per ueſicam excernuntur, inſpicere oportet, ſi talia qualia ſanis excernuntur. Quæ igitur minime ſimilia ſunt his, hæc morboſiora. Quæ uerò ſunt ſanis ſimilia, hęc minime morboſa. LXXI.

ET quibus deiectiones, ſi ſtare permiſeris, & non moueris, ueluti ſtrigmenta ſubſiſtunt: & ſi pauca, paucus eſt morbus, & ſi multa, multus. his confert alui purgatio, quòd ſi aluo non purgata dederis ſorbitiones, quantò plures dederis, tantò magis nocebis. LXXII.

QVibuſcunq; inferius cruda deiiciuntur ab atra bile ſunt, ſi plura pluri, ſi pauciora pauciori. LXXIII.

EXcreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, ſanguineæ, bilioſæ, & fœt

& fœtidæ, omnes malæ. Cum uerò bene excernuntur, bonum eſt, & per uentrem, & per ueſicam, & ubi aliquid ſecedens ſteterit non purgatum, malum. LXXIIII.

CORpora oportet ubi quis purgare uoluerit fluida facere, & ſi ſupra, ſiſtere aluum: ſi uerò infra, humectare. LXXV.

SOmnus, uigiliæ, utraq; modum excedentia, morbus. LXXVI.

IN febribus nõ intermittentibus, ſi exteriora frigent, interiora uruntur, & * febris habeat, letale. LXXVII. * ſitis

IN febre non intermittente ſi labrũ, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium peruertitur, ſi nõ uideat, ſi non audiat, & iam debilis ſit, quicquid horum fuerit, mors prope eſt. LXXVIII.

A Pituita alba, aqua inter cutẽ superuenit. LXXIX.

AB alui profluuio difficultas inteſtinorum. LXXX.

A Difficultate inteſtinorũ, leuitas inteſtinorum ſuperuenit. LXXXI.

A Corruptione, abſceſſus oſsis. LXXXII.

A Sanguinis uomitu, phthiſis, & puris purgatio ſupra: à tabe fluxio ex capite, à fluxione, alui profluuiũ, ab alui

proſ

profluuio adſtrictio purgationis ſuperioris:ab adſtrictione mors. LXXXIII.

A Sanguinis ſputo, puris ſputum, & liberatio, cum uerò ſaliua retinetur, moriuntur. LXXXIIII.

QValia fuerint ueſicę, aut alui excremẽta, & ex carnibus, & ſicubi alibi à natura corpus exierit, ſi parũ, paucus eſt morbus: ſi multum, multus: ſi ualde multum, letale eſt. LXXXV.

QVicunque ſupra quadrageſimum annum inſani fiunt, nõ admodum conualeſcunt. Minus enim periclitantur, quibus proprius naturæ & ætati morbus fuerit. LXXXVI.

QVibus in ægritudine oculi ꝑ arbitrio illachrymantur, bonũ. quibus autẽ nõ ex arbitrio, malum. LXXXVII.

QVibus in febribus quartanis, ſanguis ex naribus fluxerit, prauum. LXXXVIII.

SVdores in decretoriis diebus uehemẽtes & ueloces facti, periculoſi. LXXXIX.

EXpulſi à fronte ſtillarum inſtar & ſcaturiginum, & frigidi uehementer & multi ſunt. Sudorẽ enim eiuſcemodi neceſſe eſt uiolenter & cum labore ſummo, & eli

& eliſione diuturna exire. XC.

IN morbo diutino uentris depreſsio, malo eſt. XCI.

QVęcunq; medicamentis non curantur, ferrum curat: quæ ferro non curantur, ignis curat: quæ igne non curantur, ea exiſtimare oportet immedicabilia.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS Sectio octaua,

Opera & ſtudio doctiſsimi uiri, Antonii Muſæ Braſauoli medici Ferrarienſis, partim ex iis Aphoriſmis quos Galenus de induſtria intactos prætermiſit, partim etiam ex iis, qui pro nothis & ſpuriis in Gręcis Aphoriſmorum codicibus habentur, in unũ congeſta, & tandem in linguam Latinam quàm accuratiſsimè ab eodẽ uerſa.

APHORISMVS PRIMVS.



VI ſupra quadraginta annos phrenetici fiunt, non omnino ſanãtur: minus enim periclitantur, quorum & naturæ & ætati morbus ſit conueniens. II.

QVibuſcunq; in morbis oculi ex cauſa illachrymãt, bonum : quibuſcunque autem ſine cauſa, malum. III.

QVibuſcunque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum eſt. IIII.

SVdores in diebus iudicatoriis, uehemẽtes & celeres ſi fiant, periculoſi: præſertim qui ex fronte tanquam guttæ & fiſtulę ſaliẽtes pellũtur, frigidiq; ualde atq; multi : neceſſe enim eſt talẽ ſudorẽ, multa ui & labore, & lõga expreſsione exire. V.

POſt longum morbum, alui defluxio, malum. Vel: In morbo diuturno fluxa aluus, malum. VI.

QVoſcunque morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat: quos ferrum nõ ſanat, ignis ſanat: quos uerò ignis non ſanat, hos ſanari nõ poſſe putato: uel hos incurabiles exiſtimari oportet. VII.

TAbifici morbi, uel tabes, à decimooctauo anno uſque ad trigeſimumquintum potiſsimum gignuntur.

VIII.

QVæ ſecundum naturam ad phthiſim uergunt, omnia quidẽ uehemẽtia: quædam etiam letalia. Secundũ autem erat morboſo in tẽpore: quando ipſa hora morbo

morbo opitulatur: Sicut ardenti febri æstas, hydropico hyems: ſuperuincit enim quod eſt à natura: idq́ue ſpleni plus affert timoris. IX.

LIngua nigra atq; cruenta, quum quid horum ſignorum abeſt, malum ualidum non eſt, & imbecilliorem luctum ſignificat. X.

HAec quidem in acutis febribus obſeruentur, uti ſi quis moriturus uel euaſurus ſit, dignoſcamus. XI.

TEſtis dexter frigidus conuulſusq́ue, mortiferum eſt. XII.

VNgues nigri, digiti pedũ frigidi, nigri, demiſsi uel proclinati, mortem proximam eſſe portendunt. XIII.

QVod etiam digitorum extrema frigida præ ſe ferunt. XIIII.

ET labia liuida, reſoluta, inuerſa, frigida ſi ſint, mortiferum eſt. XV.

SI oculi caligant, uel lucem auerſantur, qui ſomno multo & æſtu detinetur, extra ſpem eſt. XVI.

SI quis ſenſim rabie quadam efferatur, ſi quis non cognoſcit, non audit, non intelligit, mortiferum eſt. XVII.

PAulò poſt morituris ſigna hæc ſunt clara magis, uentriculi ſi tolluntur,

tumeſcunt & inflantur. XVIII.

TErminus uerò mortis hic eſt, quum animæ calor ſupra umbilicum præcordiaq; recurrit & aſcendit, ac omne humidum humorem exurit & ſiccat : quum autem cor, pulmoque humiditatem caloris collecti mortiferis in locis ſentiunt, totum caloris ſpiritum efflant, unde totum in toto conſiſtit præterea quidem partim per carnem, partim per ſpiracula capitis ſpirant, quod uiuere dicimus: corporisque capſulam & alueum anima frigidum mortuumque unà ſimulacrum relinquit, ſanguinique, bili & pituitæ, & carni concedit.

APHORISMORVM HIPPOCRATIS FINIS.

HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM LIBER PRIMVS.

GVLIELMO COPO Basiliensi interprete.



NIHIL perinde medico 1
cõducibile censeo, quàm
ut prudentem se præsta-
re laboret.

SI enim apud ægros, 2
præterita, præsentia,
& futura, atque ea, quæ ipsi inter narrandum omiserunt, nouerit, prædixeritque, nihil, quod ægris usui fuerit, ignorare
putabitur. Quo fit ut audentius homi- 3
nes medico sese committant.

ETenim perquam salutarem adhibe- 4
bit curationem, si futuras affectiones præuiderit. Nam fieri non potest, ut omnes ægros sanitati restituat, quanquam hoc multò præstantius erat, quàm futura prænoscere.

ἐκ τῶν παρεόντων id est ex præsentibus.

IGitur quum homines intereãt, alii qui- 5
dem ob morbi uehementiam, antea quàm uocetur medicus: nonnulli uerò,

uocato licet medico, repentè moriuntur, ac alii unico duntaxat die, alii paulò longiori ſpatio uitam extendunt, prius quàm medicus arte ſua ſingulis morbis occurren-
6 do reſiſtat. Proinde harum affectionum naturas noſcere oportet, quantũ uidelicet
7 corporis uiribus ſint ſuperiores. Quinetiam ſi diuinum quidpiam morbis ineſt, huius quoque prouidentiam perdiſcere. ſic enim optimo iure, & admirabilem, & bonum ſe præſtabit medicum: quos enim ſuperſtites fore cognouerit, eos rectius quoque ſeruabit, utpote ex multo tempore ſingula conſultè perpẽdens. Itaq; morituros, uicturosq́; præſentiens, atq; denuntians, omnem prorſus calumniam uitabit.

NOTAE EX FACIE.

8 IN acutis morbis ſic conſiderare oportet, in primis quidem ægri faciem, an ſanorum faciebus, maximè uerò ſuæ ipſius, ſimilis ſit: ea enim optima cenſenda eſt. quæ uerò maximo diſcrimine ab hac ſimilitudine recedit, grauiſsimum periculum portendit, cuius hæ ſunt notæ.
9 Nares acutæ, oculi concaui, collapſa tempora, frigidæ contractæq́; aures, &
10 imis partibus leniter uerſæ. Cutis circa frontem dura, intenta & arida: totius

faciei color aut niger, aut pallidus, aut liuens, aut plumbeus.

QVòd si inter morbi initia huiusmodi facies appareat, neq; ex aliis indiciis coniectura sumi possit, inquirendum est, an uigilia, aut uentris uehemens resolutio, aut inedia præcesserit: quorum si quidpiam deprehenderis, nihil periculi timendum est. atqui si ob huiusmodi causas, hæc faciei species orta est, una die, nocteque * finitur. si uerò eas præcessisse æger negauerit, diutiusque iam dicto tempore hæc forma durauerit, scire licet eum morti proximum esse. 11

* κρίνεται. id est, iudicatur.

QVòd si in uetere morbo iam triduo, quatriduóue talis est, inquirenda sunt ea signa, quæ supra proposui, ad hæc, reliqua quoq; indicia, nō solū ex facie, uerumetiam ex reliquis corporis partibus perpēdēda sunt, pręcipue ex oculis. 12

NOTAE AB OCVLIS.

NAm si lumen refugiunt, & illachrymant, idq; pręter uoluntatē, aut peruertuntur, alterq; ex iis minor est, & quæ in ipsis alba esse debent, rubescunt, aut genæ pallēt, atq; in iisdem uenulę nigricant, aut lippitudo innatans tādem angulis inhæret, aut frequens est oculorū motus, iiq; 13

aut uehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt, fueritq́; aſpectus horridus obſcurusq́;, atque uniuerſæ faciei color mutatus: hæc omnia ſigna, mala, pernicioſaque putanda ſunt.

14 QVinetiam oculorum per ſomnum ſuſpectiones obſeruãdæ ſunt. Vbi enim palpebræ non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid appareret, neque id fluens aluus, aut medicamenti potio prçceſsit, prçſertim ſi quis non ſic dormire conſueuerit, prauum hoc ſignum, letaleq́; admodum eſt.

15 SI palpebra, aut labrum, aut naſus retorquetur, aut pallet, aut liuore inficitur, accedente quopiam reliquorũ ſignorum ægrũ morti proximũ eſſe haud dubitandum eſt. Mortem etiam portendunt labra reſoluta, ſuſpenſa, frigida, cãdicantia.

A DECVBITV NOTAE.

16 DEprehendendus eſt æger in dextrum ſiniſtrumúe latus cubans, brachiis, ceruice, & cruribus paulum reductis, ac uniuerſo corpore molliter affecto, qui ferè ſani quoque iacentis habitus eſt. quippe quum optimus ſit ille decubitus, qui à ſanorum conſuetudine non uariat.

Sed

S*Ed non laudatur decubitus, quo bra- 17
chia, ceruix, & crura extenduntur.

> *Alii ſupinum autem ia cere, manꝰ, col lũm, &c.

ID uerò grauius eſt, ſi ſeipſum æger con 18
tinere non ualẽs, ad pedes ſubinde de-
labitur.

VBi pedes nudat, neque iis calor ſub- 19
eſt, ubi brachia, ceruicem, & crura
inęquabiliter diſpergit ac nudat, mali mor
bi, angoriſq; ſignum eſt.

PErnicioſum eſt, ubi hiãs quis aſſidue 20
dormit. Aut ubi ſupinus iacet, cruri- 21
bus uehementer contortis, complicatiſq;.

SI pronus iaceat is, qui per bonam uale 22
tudinem ſic dormire nõ conſueuit: aut
delirium, aut uentris dolorem portendit.

VBi reſidere uult æger in ipſo morbi 23
uigore, malum quidem iudicium eſt
in omnibus acutis affectibus, ſed lõge peſ-
ſimum pulmonibus laborantibus.

A STRIDORE DENTIVM.

STridor dentium per febres, præter con 24
ſuetudinem à teneris contractam, in-
ſaniam ſignificat & mortẽ: atqui ab utriſ-
que futurum periculum denuntiãdum eſt.
Si uerò iam deliranti ſtridor quoque ac-
cedit, uix aliam æque pernicioſam inue-
nies notam.

AB VLCERE.

25 VLcus, siue ante, siue in ipso morbo natum est, obseruari debet: nam si moriturus est homo, aridum & liuens, aut pallidum, * ante mortem apparet.

*Et siccũ

A GESTICVLATIONE MANVVM.

26 EX manuum latione huiuscemodi notas perpende, in acutis febribus, in peripneumonia, phrenetide, capitis dolore, si quis eas faciei admouerit, ut inde quidpiam superuacue uenetur, aut festucas carpat, aut à ueste floccos, aut à pariete paleas auellat: omnes hæ malæ letalesq; sunt.

A SPIRATIONE.

27 SPiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus septo transuerso superioribus, indicium est. Magnus, & ex longis interuallis, delirium declarat. Frigidus ex naribus & ore prodiens, letalis admodum est.

28 FAcilis spiratio, in acutis morbis, quibus febris copulatur quiq; intra quadraginta dies * finiri solent, magnum habet ad salutem momentum.

*Iudicari

A SVDORE.

29 SVdores, saluberrimi censentur, in omnibus acutis morbis, si in diebus decreto

cretoriis oriantur, febrimq; finiant, aut ubi
toto corpore ęqualiter inſudāte, æger mor
bum facilius ſuſtinere uidetur. Cōtrà inu-
tiles, qui id efficere non ualent. Peſsimi o-
mnium ſunt frigidi, & ubi caput dunta-
xat aut facies, aut ceruix inſudat: quippe
qui in acuta quidem febre, mortem: in mi-
tiore uerò, morbum diuturnum fore ſigni-
ficant. * Et qui per totum corpus eodem 30 *Additum ex Gręco codice.
modo fiūt qui circa caput, qui autem mi-
lii inſtar & circa collum duntaxat fiunt,
mali. qui uerò guttatim & exhalando, bo-
ni. Conſiderare autem oportet ſudorem
in uniuerſum. Alii enim propter corporum
exolutionem, alii propter inflammationis
uehementiam fiunt.

A PRAECORDIIS.

ATque inter optima indicia ſunt præ- 31
cordia, ubi ſine ullo ſenſu doloris in
utraq; parte ęqualiier mollia ſunt. Inflam-
mata uerò, dolentia, & intenta, & ubi ali-
ter in dextera, aliter in ſiniſtra parte affi-
ciuntur, ſuſpecta haberi debent.

PRæcordiorum uenæ, ſi pulſent, aut 32
turbationē, aut delirium portendunt:
ſed eorum qui ſic affecti ſunt, oculos aſpi-
cere oportet: quippe frequens illorum mo
tus, inſaniam comminatur.

A TVMORIBVS.

33 PRæcordia tumida, dura, dolentia, ſi in uniuerſum ſic affecta ſunt, maximum malum portendũt: ſi uerò altera parte duntaxat, ex ſiniſtra minus periculũ eſt.

34 CAeterũ huiuſmodi tumores, in principio quidem proximã mortem de-
35 nuntiant: Vbi uero uiginti dies exceſſerint, neq; quieſcente febre, neque tumore remiſſo ad ſuppurationem conuertuntur.

36 Atq; inter plurimos circuitus, ſanguis è naribus fluens, non mediocri ipſis præſidio eſt, ſed tum ſanguinis eruptio expectari debet, quum interrogati, aut caput dolere, aut oculos caligare fatentur.

37 Id uerò iunioribus, uidelicet circa quintum & trigeſimum annum, plerunq; euenire ſolet.

38 MOllis tumor dolorem non inferens, & digitis cedẽs, longiori tẽpore finitur, ſed nõ ita graue ab eo periculũ pẽdet.

39 Quòd ſi intra ſexaginta dies, neque febris deſinit, neq; tumor reſedit, ſuppurationem expectare oportet. Idẽ haud ſecus in reliquis quoq; uẽtris partibus perpenditur.

40 ITaque durus, magnusq́; tumor, dolore crucians, mortis periculum, non multo poſt fore denuntiat. Mollis uerò & ſine

ſine dolore, quiq; prementi digito cedit, longus eſſe ſolet.

VEntris tumores, nõ tam crebro, ut hi 41
qui in præcordiis oriuntur, abſceſſum efficiunt, quòd ſi ſub umbilico conſtituantur, nequaquam ad ſuppuratioñe conuertentur. Sed ex ſuperioribus maximè 42
ſedibus, ſanguinis fluorẽ expectare oportet. In quibus omnis humor diuturnus, ad ſuppurationem ferè ſpectat.

A SVPPVRATIONE.

ITaq; ſuppurationum obſeruatio ſic ac- 43
cipienda eſt. earum enim quæ in exteriorem partẽ erumpunt, optimæ ſunt, paruæ admodum eminentes, atque in acutum faſtigiatæ: peſsimæ uerò ſunt, quæ maximæ, quæq; planiſsimæ ſunt.

SEd illarum quæ intus excitantur, opti- 44
mæ cenſentur, quæ exteriorem cutem non decolorant, ſed contrahuntur, nulloq; dolore cruciant, atq; ubi exterioris cutis color manet uniformis.

PVs illud optimum eſt, quod album & 45
lene eſt, & haudquaquã fœtet, quod uerò ab hoc uariat, peſsimum eſt.

HIPPOCRATIS COI PRAEsagiorum Liber secundus.

DE AQVA INTER CVTEM.

1 AQVA inter cutem si ex acuto morbo cœpit, periculosa est. neq; enim febrim soluit, sed doloribus torquet atq; interficit: oritur uerò magna ex parte uel ab ilibus & lumbis, uel à iecinore.

2 SEd ubi ab ilibus lumbisq; ortum contraxit, pedes tumidos reddit, fluorem diuturnum inducit, qui neque lumborum, iliumúe dolorem soluit, neq; uentrem efficit molliorem.

3 AT quibus à iecinore aqua inter cutem proficiscitur, ii tussi uexant, sed qua penè nihil excreatur, pedes tument, deiectio dura, coactaq; est, circa uentrem tumores, modò in dextra, modò in sinistra parte attolluntur, deinde desinunt.

4 MAli etiam morbi signum est, caput & pedes, manusq; frigidas habere,
5 uentre & lateribus calentibus. Securitatem pollicetur corpus, quod æqualiter molle

molle, & calidum eſt: Quodque facilè 6
conuertitur & ſurgit.
GRauitas uerò, quæ uel manus & pe- 7
des, uel reliquum quoq; corpus pre-
mit, periculum ſignificat. Quòd ſi cum 8
grauitate, ungues quoque ac digiti liuore
afficiantur, continuò perniciem expectare
oportet. At omnino nigri, tum digiti, 9
tum pedes, minus quàm liuentes, pericu-
lum portendunt: ſed tunc ad reliqua ſigna
refugere oportet. etenim ſi æger facilè ma
lum ſuſtinet, adſintq; alia quædam indi-
cia, quæ ſecuritatem polliceri ſolent, ſup-
purationem ſperabis, atque ſuperſtes ma-
nebit æger, ſed denigratæ corporis partes
decident.
TEſticuli pudendaq; retracta, uehe- 10
mentes dolores, atque letale pericu-
lum ſignificant.

DE SOMNO.

QVod uerò ad ſomni rationẽ perti- 11
net, quẽadmodũ ſani etiã ſolẽt, in-
terdiu uigilare, noctu uerò dormire opor-
tet. à qua cõſuetudine ſi quis aberrauerit,
peior erit ſomnus qui inter quartam ho-
ram & noctem, quàm qui matutino tem-
pore ad quartam. Peſsimum tamen eſt, 12
ſi ſomnus neque noctu, neq; interdiu ac-
cedit

cedit: id enim ob dolorem laboremq́; accidit, uel delirium futurum significat.

DE ALVI EXCREMENTIS.

13 ALui excrementa inter bona indicia sunt, si mollia, si figurata sunt, si eodem ferè tempore quo in secunda ualetudine deiici solebant, excernuntur: si his quæ ingeruntur proportione respondent, utpote quæ inferiorem uentrem rectè ualere declarant.

14 SI uerò liquida fuerint, præstat ut sine stridore, neque frequenter, neq; ex breuibus interuallis deiiciantur. etenim fatigatur æger, si crebro surgit, uigiliisq́; consumitur. quum uerò affatim sępeq́; deiicit, ne animus eum deficiat, periculum est.

15 COnuenire debent excrementa, his quæ assumuntur, & bis terúe interdiu, noctu uerò semel deiici, idq́; maxime matutinis temporibus pro cuiusque consuetudine.

16 AD finem iam tendente morbo, bonum est si crassiora reddanrur. Ac
17 rufa, & odoris fœditate, sani hominis aluum non uehementer excedant.

18 LVmbricos etiam cum excrementis sub fine morbi descendisse nihil nocet.

Ven

VEnter in quouis morbo uacuus, corpulentusq; eſſe debet. 19

PEriculoſum ſtercus eſt, quod per liquidum, albicans, pallidum, uehementer rufum, aut ſpumans eſt. 20

ITem malum eſt, quod exiguum, glutinoſum, idemq; ſubpallidum eſt. 21

OMnium maxime letiferum eſt, nigrum, pingue, liuens, aut quod peioris eſt odoris quàm pro conſuetudine. 22

VAria excrementa, quanquam diutius mortem differunt, non tamen minus ſunt letalia, huiuſmodi & ramentoſa ſunt, bilioſa & nigra, atque porri colorem imitantur.* 23

*Aliquãdo q dẽ ſimul, aliquãdo per uices excreta.

INter optima ſigna eſt flatus, qui neque ſtrepẽdo, neq; pedẽdo emittitur, quanquã enim ſatius eſt ipſum cum ſtrepitu exire quàm includi: tamẽ hoc pacto prodiens aut dolere, aut delirare ægrum ſignificat, niſi ſua ſponte flatum ipſum emiſerit. 24

PRæcordiorum recentes quidẽ dolores, gibboſq;, niſi inflammatio quoq; acceſſerit, murmur in ipſis exortũ ſoluit, ac unà cum ſtercore & urinis, atque flatu egreditur, quod ubi nõ cõtingit, ſi tamen ex ſede ſua transfertur, bonum ſignũ eſt, idq; magis ſi ad inferiora deſcendit. 25

DE VRINIS.

26 VRina illa optima eſt, in qua per totũ morbi decurſum reſidet album, leue, æquale: hæc nimirum ſecuritatem, breuemq́; morbum ſignificat. Quòd ſi aliquid horum deeſt, ut modò liquida ſit, modò album, leueq́; in ipſa reſideat, hæc ut longiorem morbum denuntiat, ita ſecuritatem minorem pollicetur.

27 SVbrubra urina, in qua ſubrubrum, leueq́; reſidet, quãquàm ſuperiore morbum diuturniorem, eundem tamen ſalubriorem fore declarat.

28 MAla eſt urina, quũ id quod reſidet, parti farinæ craſsiori ſimile eſt: peior uerò, ſi lamis: ac uituperatur quoq; alba, tenuisq́;, quanquam longa maius periculum illa portendit in qua quædam tanquam furfura reſident.

29 NEbulæ in urina ſuſpenſæ, albæ quidem bonæ, nigræ uerò malæ ſunt.

30 CAeterum quoad urina rufa, tenuisq́; apparuerit, crudum morbum ſignifi-
31 cat. Quòd ſi diutius talis permãſerit, ne priuſquam morbus quieſcat, æger uiribus
32 deſtitutus ſuccũbat, periculũ eſt. Pernicioſiſsima eſt urina, quę mali odoris, & di luta, & tenuis, & nigra, & craſſa eſt.

IN uiris quidem & mulieribus nigra, in pueris uerò tenuis & diluta, deterrima est. 33

SI urina tenuis & cruda, sic diu fertur, ut reliqua signa salutaria sint, plerunque infra septum transuersum abscessus oriri solet. 34

NEque leuiter terrere nos debet urina, cui pinguedo telis araneorũ similis innatat, quippe quę hominem tabe consumi significat. 35

NVbecularum positum, supremúmne locum, an infimum teneant, obseruare oportet. Nam quæ in ima parte constituuntur cum coloribus, quos supra proposui, bonæ sunt, atque laudantur: quæ uerò sursum attolluntur, malæ, uituperandæque sunt. 36

SEd caue ne uesica quoquo modo affecta, si huiusmodi reddiderit urinas, te decipiat: tales enim non ad uniuersum corpus, sed ad ipsam duntaxat uesicam referri debent. 37

DE VOMITV.

PErquam utilis est uomitus, qui bilem pituitæ mistam habet, si neq; crassitie, neque multitudine admodum exce- 38

dat: nam syncerae pituitae, bilísue uomitus periculosus est.

39 SI uerò uiridis, aut liuidus, aut niger est, quilibet horum colorum acciderit, uitiosus est.

40 SI uerò omnes affatim in eodem appareant, mortis periculum ualde timendum est.

41 AD ultima uentum esse testatur liuidus uomitus, praecipue si malus in
42 hoc odor est. Siquidem foetores in quouis uomitu mali sunt.

DE SPVTO.

43 IN pulmonis, costarumq; doloribus, oportet ut sputũ celeriter, facileq; screetur.
44 tur. Et cruor sputo uehementer misceatur.
45 tur. Etenim si multo post doloris initium, aut cruentum, aut rufum, aut non sine multa tussi, nec adeò commistum expuitur, uitiosum censetur.

46 QVippe cruentum, si syncerum quoque fuerit, periculum subesse testatur, album uerò, uiscidum, & rotundum inutile est.

47 MAli etiam morbi testimonium est quod admodum uiride, quodque spumosum est.

ID uerò omni alio deterius eſt, quod ſic 48
eſt ſyncerũ ut nigrũ quoque uideatur. Neque tutũ eſt ſputũ, quod nõ expurgatur, nec proiicit ipſum pulmo, ſed ob nimiam plenitudinem feruet in gutture.

IN omnibus morbis pulmonis deſtilla- 49
tio, ſternutamentumq;, ſiue præfuerint, ſiue ſuperuenerint, periculum oſtendunt, quanquàm in cæteris morbis, uel periculoſiſsimis, utilitate carent.

SPutum cruentum cui paulum ſangui- 50
nis admiſtum eſt, in morbi principio, inflammato pulmone proiectum, ſecuritatem atque auxilium pollicetur, quod uerò ad ſeptimum uſq; diem, longioríue ſpatio tale apparet, non adeò tutum eſt.

OMne ſputũ, quod dolorẽ nõ mitigat, 51
malum eſt. Nigrum, ut ſupra demonſtrauimus, peſsimum eſt: ſed longe ſaluberrimum eſt id quod dolorem placat.

DE SVPPVRATIONE.

DOlores in dictis ſedibus, quos neque 52
ſputi purgatio, neque ſoluta aluus, neque ſanguinis miſsio, neq; medicamentum, neque uictus ratio, ſedare potuit, ſcire licet eos ad ſuppurationem tendere.

53 SVppuratio erumpens,ſputo adhuc bi-
lioſo apparente,ſiue bilis ſeorſum,ſiue
unà cum pure expuatur, admodum perni-
54 cioſa eſt,præſertim ſi à die morbi ſeptimo
incœperit pus ab huiuſcemodi ſputo pro-
55 cedere. Itaque timendũ eſt ei qui ſic ex-
puit, ne decimaquarta die moriatur, niſi
ſalutiferum aliquod indicium interea ſu-
perueniat.

56 POrrò bonæ ſpei ſigna ſunt, ſi æger
bene ſuſtinet morbum,ſi facilè ſpirat,
ſi dolor leuatus eſt,ſi ſine difficultate ſcre-
at,ſi corpus æqualiter molle & calidũ eſt,
neque ſitis infeſtet: præterea urina, alui
ſedimina,ſomni,ſudores, ut de ſingulis ſu
pra demonſtrauimus, probè reſpondent,
quorũ ſi nullum deeſt,haudquaquam ęger
morietur. Contrà,ſi intolerabilis eſt mor-
bus,ſi halitus magnus & frequens eſt,neq;
mitigatus eſt dolor, uix ſputum redditur,
ſitis uehementer cruciat, febris inæquali-
ter corpus afficit,ſi deniq; uenter & latera
uehementer calent, fronte, manibus, &
pedibus frigore affectis, atque urina &
alui excrementa, & ſomni, & ſudores,
ex ſupra propoſitis notis periculum mi-
nantur. quidquid horum iam dicto ſpu-
to ſuperuenerit, aut nono, aut unde-
cimo

cimo die ægrum moriturum significat, ita ut decimumquartum non queat attingere. Huiusmodi coniectura letale sputum consequi oportet, quod uidelicet ad decimumquartum diem ægrum uiuere nõ permittit. Ex prædictis itaque signa, tum bona, tum mala perpendere, ac subinde futura prædicere oportet.

RElíquæ autẽ uomicæ magna ex parte rũpuntur. sed aliꝫ in die uigesimo, 57.
aliæ trigesimo, aliæ quadragesimo, nõnullæ ad sexagesimum usq; perueniunt.

PRoinde suppurationis initium obser 58
uare oportet, quod ab eo die putandum est quo primũ quis aut febricitauit, aut inhorruit, aut pro dolore grauitatem illius partis sensit, quã antea dolor infestabat. Nam talia in suppurationũ principio accidere solent. ab hoc igitur tẽpore, usq; ad iam definita spatia, uomicarũ eruptiones expectandæ sunt.

AN uerò alteram duntaxat partem uo 59
mica occupet, ex his ferè notis perpendere licet, si alterũ latus dolore cruciatur, & altero calidius est, atq; ubi in partẽ sanã aliquis decubuit, interrogatus, oneri eam, ueluti ex pondere aliquo respondeat. quibus cognitis, in eo latere suppu-

rationem esse coniicies, cui grauitas incumbit.

60 SVppuratos omnes hoc pacto deprehēdes, Si febris nō dimittit, eaq; interdiu leuior est, noctu increscit, multus sudor oritur, tussiēdi cupiditas est, sed nihil penè excreatur, oculi cauātur, malę rubēt, ungues in manibus curuantur, digiti, maximeq; summi calent, pedes tument, cibi fastidiū est, pustulæ toto corpore nascun-
61 tur. Atq; diuturnarū uomicarum hæ sunt notæ, quibus haud dubia fides adhibenda est. Sed quę breuiori spatio duraturę sunt, ex iisdem notis deprehenduntur, atque ex his quoque quæ in principio apparere solent, simul si spiritus maiori cum difficultate trahitur.

62 CEleriorem, tardiorémue eruptionem ita coniicies, Si protinus ab initio tussis fuit, & spiritus difficultas, atq; sputi excretio, uomica intra uigesimum diem erumpet. Si uerò non adeò uehemens fuerit dolor, cæteraq; illi ex proportione respōdeāt, serius ruptura sequetur: quo tempore & dolorē & spirandi difficultatē minui, atq; sputi screatū increscere, ante uidelicet puris eruptionem, necesse est.

Cæter

CAeterum à periculo tuti ſunt, quibus 63
eodem die quo eruptio facta eſt, febris conquieuit, deſieruntq; urgere cibi faſtidium & ſitis, aluus exigua quædam & figurata reddit, pus album, leue, ſimplici colore, & ſine pituita eſt, atque ſine dolore leui tuſsicula eiicitur. Hæ ſunt notæ perquàm ſalubres, quæ celeriter liberant hominem. ab his ſecuritatem quoque pollicentur, quæ ad ipſas proxime accedunt. At certum periculum eſt, ſi febris non quieuit, aut poſt quietem repetit. Item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi uenter liquidus, ſi pus eſt liuidum aut pallidum, ſi nihil niſi ſpumantem pituitam æger ſcreat. Itaque ſeruari non poſſunt, quibus omnia hæc accidũt. quibus uerò non omnia, alii quidem moriuntur, alii uerò poſt longa temporum interualla ſani euadunt. Ex omnibus autem iam propoſitis coniecturis, reliquarum quoq; affectionum ſigna conſyderare oportet.

DE ABSCESSIBVS.

QVibus ob laborantem pulmonem, 64
abſceſſus ſecundum aures oriuntur, & in partibus infernis ſuppurantur, ac fiſtulam efficiunt, iis ſecunda ualetudo

contingere ſolet.

65 IN quibus huiuſcemodi notas obſeruabis, Si febris non conquieſcit, neq; dolor mitigatur, ſi ſputum non pro ratione eiicitur, ſi aluus, neque bilioſa, neq; liquida, neque ſyncera excernit, ſi in urina admodum exigua, multa reſident, ac reliqua quoque ſigna omnia ſecuritatem polliceantur, eiuſmodi abſceſſus expectandi ſunt.

66 QVi aliis quidem eueniunt in partibus infernis, ſi quodam modo inflammata fuerint præcordia: aliis uerò in ſuperioribus, ſi præcordia neque tumore, neque dolore infeſtantur, ſed accedit pro tempore ſpiritus difficultas, quæ deinde ſine ulla euidenti occaſione quieſcit.

67 IN uehemēti periculoſaq; peripneumonia non inutiliter in cruribus naſcuntur abſceſſus: nec poteſt aliud quicquam melius accidere, præſertim ſi mutato ſputo ſic appareant. Siue enim tumor ſiue dolor ſentitur, ſputo cruento in pus iam cōuerſo excretoq;, tutiſsimum id indicium eſt. Nam & æger à periculo liberatur, & abſceſſus doloris expers, celerrimè conquieſcit. At ſi neq; ſputum probè excernitur, nihilq; reſidet in urina quod bonam

ſpem

ſpem fulcire uideatur, ne ex eo articulo claudicet ęger, uel plurima certe ſuſtineat negotia, periculum eſt.

SI uerò ſubſederunt abſceſſus, ſed rurſus repetunt, non prodeunte ſputo, ac perſeuerante febre, grauis timor eſt, ne delirium ſubeat æger, aut moriatur. 68

SAnè ex ſuppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt ferè ſenes moriuntur: ex cæteris, iuniores. 69

LVmborum, inferiorumq; partiũ dolores, quibus febris quoq; accedit, ſi ad ſeptũ trãſuerſum tranſeũt, relictis inferioribus, admodũ pernicioſi ſunt. animaduertenda tamen reliqua quoq; indicia ſunt. ſi enim perículoſum aliquod ſignũ acceſſerit, hominẽ à ſpe deponit. Quũ urũtur ſuppurati, ſi pus fluxerit purũ, candidum, & ſine fœtore, ſeruantur. ſi uerò ſubcruentũ, cœnoſumq;, pereunt. Si ad ſeptum tranſuerſum, malum aſcenderit, nullo reliquorum ſignorũ periculum oſtendente, futuræ ſuppurationis indubitata ſpes eſt. 70

EX VESICA NOTAE.

VEſica dura, dolens, graue periculum, letaleq; comminatur: idq; ſi cõtinua quoq; febris acceſſerit. nã ueſicæ dolores, 71

ualid

ualidam necãdi uim obtinẽt, quo tempore aluus etiam nihil reddit, nisi dura quædam, ac ne ea quidem, nisi cogatur.

72 AT uerò urina purulenta procedens, in qua residet album & leue, metum detrahit.

73 QVòd si ab huiusmodi urina dolor leuatus non est, neq; uesica mollior effecta est, neq; febris conquieuit, laborantem per primos morbi circuitus moriturum, denuntiandum est.

74 ID uerò pueris à septimo anno ad decimumquintũ præcipue accidere solet.

HIPPOCRATIS COI PRAEsagiorum liber tertius.

DE FEBRIBVS.

1 FEBRES, siue sanus ab ipsis quis euadat, siue pereat, æquali dierum numero finiuntur.

2 VT enim saluberrimæ febres, quæ uidelicet tutissimis fulciuntur notis,
3 die quarto uel antea quiescere solẽt: Ita pessimę quęq;, & qb⁹ periculosissima ad-

sunt

ſunt ſigna, die quarto, uel citiꝰ interficiũt.

PRimus itaq; earũ inſultus ita finitur, 4
alter in ſeptimum diem producitur, tertius in undecimũ, quartus in decimũquartũ, quintus in decimumſeptimũ, ſextus in uigeſimum. Igitur acceſsiones ipſæ ex acutiſsimis morbis per quatuor in uiginti auctæ finiũtur. Verũ huiuſcemodi 5
ſuppuratio per dies integros nimirũ fieri nõ poteſt: quippe quũ nec annus, nec mẽſes ipſi, integris numerentur diebus.

DEinde eadem ratione, atq; additio- 6
ne, primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad ſexaginta dies perueniet.

SEd huiuſmodi morbos, qui longiori 7
ſpatio finiri debẽt, ab initio perquàm difficile eſt diſcernere, quòd ſimilima ſint eorum principia. Animaduertere tamẽ à prima die oportet, atq; ſingulos dierũ quaterniones obſeruare: ſic enim haud obſcure ſcies, quò ſe conuerſurus ſit morbus. Ac quartanæ quoq; conditio hunc 8
ſeruat ordinem.

MOrbi autẽ tempore breuiſsimo fi- 9
nem attingẽtes, facilius dignoſcũtur, utpote qui maximis protinus ab initio diſtinguũtur differentiis. ſiquidem ad

ſanit

ſanitatem tendentes, facilè ſpirant, nõ do
lent, dormiunt noctu, ac reliqua quoque
ſigna, maximam eis ſecuritatem pollicen-
10 tur. Perituri uerò difficulter ſpirant, deli-
rant, uigilant, cæteraq; id genus peſsima
ſigna eis accedunt.
11 VT igitur, his ſic ſe habentibus, mor-
bos ad iudicium tendentes coniectu
ra conſequi oportet, & ex tempore, & ex
12 ſingulis additionibus: Ita eadem quoq;
ratione in mulieribus, morborum iudicia,
à partu numeranda ſunt.
13 CApitis in febre uehementes, perpe-
tuiq; dolores, accedente letalium no
tarũ aliqua, ualde ſunt pernicioſi: ſi uerò
nullo tali ſigno apparente, diem uigeſimũ
dolor exceſſerit, neq; febris conquieſcat,
ex naribus ſanguinis fluorem, aut in par-
tibus inferioribus abſceſſum expectabi-
mus. Similiter dolori etiam recenti, ſan-
guinis profuſio ex naribus, aut ſuppuratio
ſuperuenire ſolet, pręcipue ſi dolor & tem
pora, & frontem infeſtauerit.
14 MAximè uerò ſanguinis fluxio expę
ctanda eſt in iuuenibus, qui quin-
tum & trigeſimum annum nondum ſu-
perauerunt. nam maioribus natu, ſuppura
tio ferè oritur.

Auris

AVris dolor acutus cũ febre nõ inter- 15
mittẽte, uehemẽtiq́;, graue periculũ minatur. nam & mentem turbat, & hominem rapit. Quum igitur anceps ſit huius rei exitus, à primo protinus die omnibus ſignis accuratè animum adhibere oportet.
Nam ex eo caſu iuniores quidem 16
intra ſeptimum diem, ſeniores uerò multò tardius moriuntur: quippe qui non æque magnas febres experiuntur, neque adeò inſaniunt. proinde ſuſtinere poſſunt donec ſuppuretur affectus. Quòd ſi morbus in hac ętate reuertatur, magna ex parte interficere ſolet. Sed iuniores, antea quàm auris ſuppuretur, pereunt: niſi pus candidum ab ea defluens, ſecuritatem polliceatur, præſertim ubi ſalutarium quoq; ſignorum aliquod apparet.

NEque leuiter terreri debemus ubi fe- 17
bricitanti fauces exulcerantur: cui ſi aliud quoq; ex magnis quæ ſupra declarauimus acceſſerit, in periculo hominem uerſari, denuntiandum eſt.

DE ANGINA.

ANgina, periculoſiſsima eſt, celeri- 18
terq́; enecat, ſi neq; in faucibus, neq; in ceruice quicquam apparet, ſi dolor uehemens

hemens eſt, ſi uix ſpiritus trahitur: etenim eodem die iugulat, licet interdum uſque ad ſecundum, aut tertiũ, aut etiam quartum protrahatur.

19 QVæ uero in reliquis quidẽ non minore dolore afficit, in faucibus uero tumorem ruboremq; excitat, ſuperiori non minus periculoſa eſt, ſed longius ſpatium habebit, præcipue ſi uehemens fuerit rubor.

20 SEd tum præcipue malũ prolongatur, quum non ſolùm fauces, ſed ceruicem quoque rubor occupat. maxime uerò poteſt ab ea ſecunda ualetudo contingere, ſi rubor ſimul & ceruicem & pectus comprehendat, neque ad interna reuertatur eryſipelas.

21 QVum uerò deletur eryſipelas, ſed non in decretoriis diebus, neque in exteriores partes conuertitur tumor, neq; pus ſcreat æger, ſed leuis & à dolore immunis uidetur, id aut mortẽ ſignificat, aut dolorem reuerſum.

22 TVtius eſt & tumorem & ruborem in externas maxime partes conuerti. ſi uerò ad pulmonem conuerſio fiat, dementiam excitabit: quanquã nonnulli ſic affecti, magna ex parte ſuppurantur.

Gurg

GVrgulio si cum rubore tumescit, sine 23
periculo præcidi non potest. etenim
inflammatio, sanguinisq; profusio ei acce-
dit. Proinde satius est aliis quibusdam au
xiliis uti, quibus extenuari posit. Quum
uero pallidior efficitur, uua nominari so-
let: quòd si tum ima eius pars crassa & ro-
tunda, summa uerò tenuis uideatur, intre-
pide præcidi debet. Satius tamen fuerit,
antea quàm manus adhibeatur, aluum ua-
cuare, si tempus id ita permittat, ut inte-
rim suffocatio hominem non pręoccupet.

QVibus febres, neque salutaribus no- 24
tis apparentibus, neq; in diebus de-
cretoriis conquiescunt, ii reuersionem ti-
mere debent.

IN longa febre, ex qua tamen æger li- 25
berari potest, si neque ob inflammatio-
nem, neq; ob aliam ullam manifestā cau-
sam, dolor infestat, aut tumidum aut do-
lorosum in articulis abscessum expectare
oportet, præcipue in imis partibus. Ma- 26
xime uerò in his ætatibus, quę triginta an
nos non excesserunt, eiusmodi abscessus
nasci cōsueuerunt, idq; in tēpore breuiori.

NOn tamē expectandus est abscessus, 27
donec uigesimā diem febris pręterie
rit. Is natu maioribus raro accidit, quam- 28

uis longo ſpatio duret febris.

SOlet etiam continuis febribus abſceſſus ſuperuenire. Interpellata uerò febris, eademq́ue errabunda, in quartanam mutabitur, præcipue ſi autumnus proximus eſt.

30 ATq; ut abſceſſus oriuntur in his qui triginta annis minores ſunt, ita quartana eos qui trigeſimum annum aut agunt aut exceſſerunt, præcipue corripit.

31 IGitur ſcire licet, abſceſſus hyeme magis accidere, ſerius finiri, ſed non facilè reuerti.

DE VOMITIONE SPONTANEA.

32 SI cuipiam in non letali febre, caput dolet, aut ante oculos obſcura quædam obuerſantur, aut * cordis dolor accidit, is bilem euomet. Si uerò horruerit, & inferiores pręcordiorum partes frigore afficiantur, citius ad uomitionem properabit. quòd ſi eo tempore quidpiam aut biberit, aut ederit, id quoque quàm celerrime euomet.

* Galenus dicit, ſummi uentriculi morſum.

33 QVibus itaq; à primo protin⁹ die dolor ſuperuenerit, iis quarto & quinto die ingraueſcit, mox in ſeptimo liberantur.

rantur. Sunt nō pauci qui in tertio die dolere incipiunt, quinto maxime molestantur, deinde nono uel undecimo tuti euadūt. Sed quos dolor quinto die uexare cœperit, reliqua ex proportione respondeāt, iis decimo quarto die* finitur morbus. Hęc tum uiris, tum mulieribus, sed in tertianis maxime contingere solent. Iunioribus uero cum in iis ipsis, tum præcipue in continuis febribus, atq; tertianis synceris. 34 *κρίνε ται. i. iudicatur.

ITaq; quibus in huiuscemodi febre caput dolet, oculi uerò obscuras illas imagines non uidēt, sed caligatione hebetantur, aut splendentia quędam cernere se putant, ac prę cordis dolore, in alterutra parte præcordia tenduntur, ac neque dolor infestat, neque inflammatio, iis pro uomitu sanguis è naribus profluet, idq́; præcipue iunioribus accidit. si uero trigesimum annum uel agunt, uēl superauerunt, uomitum potius quàm sanguinis fluorē expectabimus. 35

DE CONVVLSIONE.

SI pueris in acuta febre aluus nihil deiicit, neque somnus accedit, sed terrentur, flēt, color mutatur, ut modò pallidus, modo liuidus, aut ruber efficiatur, ner- 36

uorum diſtentio timeri debet, utpote quæ pueros qui ſeptimum annum nondum exceſſerunt, quàm promptiſsime inuadit. Grandiuſculos uero pueros, atque adultos, non adeò in febribus neruorum diſtentio præhendit, niſi uehementis admodum malitiæ ſignum aliquod affuerit, qualia uidelicet in phreneticis uidentur.

37 ERgo ex omnibus ſignis, ut de ſingulis morbis ſingula præſcripta ſunt, & morituros, & eos qui ad bonam ualetudinem redire poterunt, ſiue pueri ſint, ſiue natu maiores, ſic coniicere oportet.

38 ATque hæc de acutis morbis, atque de his qui ab eis naſcuntur, dixiſſe uelim.

39 CAeterum ſi recte diſcernere uolueris, & morituros, & eos qui à periculo tuti ſunt, & quis morbus longo, & quis breuiori ſpatio finietur, diſce omnium ſignorum inter ſe collatorum uires, ut ſupra demonſtrauimus, accuratè iudicare, tum aliorum, tum præcipue urinæ, ac ſputi, quum ſcilicet ſimul & pus & bilem æger
40 ſcreat. Item ſuperueniẽtium quoq; morborum impetum, ac temporum anni conditionem accuratè obſeruare oportet.

Poſt

POstremò quod ad coniecturas, reliquaq; signa pertinet, haudquaquam uel ignorãdum, uel negligendũ est, quòd quouis anno, & quouis anni tempore, mala signa timorem, utilia uerò bonam spem denuntiant. 41
Etenim in Libya, & Delo, atque Scythia, proposita iam signa, uera esse comprobauimus. 42

VNde scire licet, in iisdem terris multo plura quàm supra proposuimus, illum facilè assequi posse, qui ea rectè & iudicare & perpendere didicerit. 43

SEd nullius morbi hic non descripti nomen desiderandum est: nam omnes qui in dictis temporum spatiis morbi* finiuntur, iisdem quoque indiciis discernuntur. 44

*κρίνεται. id est, iudicantur.

HIPPOCRATIS COI PRAESAGIORVM FINIS.

HIPPOCRATES DE NATVRA HOMINIS,

*

ANDREA BRENTIO Patauino interprete.



VI cõſueuit audire eos qui de humana natura altius quàm ad medendi facultatem pertinet, diſputant, huic certe mea oratio ut audiatur apta non eſt. Neque enim prorſus dixerim hominem aërem eſſe, aut ignem, aut aquam, aut terrã, aut aliquid aliud: quod minimè unũ in homine ineſſe manifeſtò apparet. Sed id quibus placet, dicere permitto. Atqui mihi quidem non uidentur huiuſcemodi homines recte ſentire. Nam cum idẽ ſentiant, idemq; concludant, loquuntur tamen diuerſa. Aiunt enim unum quid eſſe quod eſt, ac id eſſe unum & omne: uerbis autem diſcrepant. Quoniam id unum & omne, eorum alius aſſerit eſſe ſpiritum, alius calorem, alius liquidum, alius

alius aridum. Tum sua quisq; ratione concludunt argumenta, ac testimonia & indicia afferunt, quæ nullius sunt penitus momenti. Quòd uerò eodem sunt sensu, uerbis autem dissentiunt: ea re patet eos ignorare quæ profitentur. Quod quidem his præcipue perspicere licuit, qui illorũ contentionibus interfuerint. Nam cum iidem illi boni uiri eodem in conspectu atque cõ sessu auditorũ inter se contendant, nunquam tamẽ in eodẽ sermone unus idemq; uir tres deinceps alios conuicit, sed modò hic superior est, modo ille, cuicunque præsertim fuerit lingua magis fluxa, magisq; in turbam idonea. Qui autem recte sentire putans aliquid de rebus pollicetur, is meritò rationes suas probabiles atque inuictas semper affert. siquidem uera intelligit & recte demonstrat. At uerò isti quidem uidentur imprudentia sua non tam in uerbis, dum disputant, errare, quàm etiam Melissi sententiam sequi atque probare: sed de his hactenus. Etiam ex Medicis quidam hominem sanguine tantum, quidam bile, quidam pituita constare dicunt: ipsique omnes eandem subiiciunt conclusionem. Aiunt enim, unum quid esse, cui nomen ad illorum cuius-

que libidinem imponitur. porrò id unum formam & uim mutare à calore, uel frigore coactum mox dulce aut amarum, aut album, aut nigrum, aut aliud quid diuersum fieri. Verum hæc non sic habere mihi uidentur. Nam si homo una re constaret, nullo unquam morbi genere afficeretur. neque enim esset unde doleret, cum unum tantummodo foret. Quòd si afflictaretur, una utiq; curatio necessario foret. Contrà, nunc plures existunt: quia plura in corpore sunt, quæ cum plus iusto inter se calefiunt, aut refrigerantur, aut siccescunt, aut humefiunt, morbos pariunt: ex quo multa habentur ægrotationum genera, & multæ quoque illarum curationes. Cæterum, mea quidem opinione, qui hominem sanguinem & nullam aliam rem esse censet, is deberet demonstrare, eum non mutare formam, aut uariari, aut saltem aliquod anni tépus, aut hominis ætatem ostendere, qua sanguis solus appareret esse in homine. uerisimile nanque, fore aliquod tempus, quo id unum in seipso esset. Hæc à me dicta etiam in eos conueniunt, qui bili siue pituitæ tantum tribuunt. Ex quibus uerò hominem ego constare dixerim, ea & secundum legem,
& se

& ſecundum naturam, cum & uniuſcuiuſque ætati tam iuuenili, quàm ſenili, tum tempori tam calido quàm frigido conuenire demonſtrabo: atque ſigna etiam & argumenta afferam, eaq́; aperiam, quibus neceſſariò quodq; augetur aboleturúe in corpore. Primum generatio eius ab uno fieri nequit. Quonam enim pacto unum quid generare poſſet, niſi quid aliud admiſceretur? Tum nec quæ miſcentur, generarent: niſi eſſent eiuſdem generis, eandemq́; haberent facultatem. * Rurſus nec generatio quidem nobis perfecta foret, niſi calidum & frigidum, ſiccum & humidum inuicem temperatè & pari modo ſe haberent: aliter inanis eſſet, ſi alterutrum altero ualentius infirmiusúe foret. Proinde quî ueriſimile eſt ut aliquid ab uno generetur, cum id ne à pluribus quidem fieri poſsit, niſi mutuo temperamento miſtis? Cum igitur natura eiuſcemodi ſit, cum omnium reliquarum rerũ, tum etiam hominis: neceſſe eſt hominẽ non unare conſtare, ſed unumquodq; eorum, quæ generationi ſuppeditauerint, talẽ quempiam uim in corpore poſsidere, qualem cõtribuerit. Rurſus homine animam agẽte ſingula in propriam naturam diſcedũt, udum in quã

* Galenus dicit hic adiectũ eſſe. οὐδ᾽ ἂν τὰ αὐτὰ ἡμῖν ξυντελέοιτο. id eſt, neq; ſimilia nobis efficiant.

in udum, ſiccum in ſiccum, feruidum in feruidum, algidum in algidum. Nempe talis eſt tum animantium, tum cæterarum omnium rerum natura, omniaq́ue ſic orta, occidunt ſimiliter. Ex his enim quæ prędiximus omnibus, cuiuſq; natura conſiſtit, deſinitq; pari ratione: cum id in ſeipſum unde concreuerit, ſe receperit. Corpus autem humanum habet in ſe ſanguinem & pituitam, & bilem duplicem, tum flauam, tum atram: ex quibus & conſiſtit, & ægrotat, & ualet. Valet quidem præcipue cum ea inter ſe uim & copiam mediocriter temperatas, maximeq́ue permiſtas habuerint. Contrà laborat, cum eorum aliquid eſt plus minúsue iuſto, ſiue cum in corpore ſecretum eſt, neque cum aliis confuſum. Quod quidem nō modò locum, ex quo abſceſſerit, afficit: uerum etiam ad quē abſceſſerit, exercet, propter nimiam & exuperantem copiam. Vtiq; ſi quid citra ſuperfluitatē foras eruperit, negotium prębet propter exinanitionem. Similiter intus ſi uacuefit migrátue, aut ab aliis excernitur, duplicem moleſtiam prębeat, neceſſe eſt, quemadmodū dictū fuit, uidelicet unde abſceſſerit, ac ubi exuperat. Quòd uerò dixi me quibuſcunq; hominem

minem conſtare ſtatuerim, ea ſemper eſſe demonſtraturum ſecundum inſtitutum & naturam, idcirco aio ſanguinem eſſe & pituitam, & bilem tum flauam, tum atram. Atq; horum nomina primum quidem inſtituto diſtincta eſſe dico, quòd nulli eorum idem nomen inditum ſit: deinde ſecundum naturam formas diſcrepare, minimeq; pituitã ſimilem eſſe ſanguini, aut ſanguinem bili, aut bilem pituitæ. Quonam enim pacto inter ſe ſimilia eſſe poſſunt, cum neq; ad uiſum, neque ad tactum ſimilia eſſe cognoſcantur? Neq; enim pariter calida, ſiue frigida, ſiue ſicca, ſiue humida ſunt. Ergo quando tantum inter ſe & forma & ui differũt, neceſſe eſt ea non eſſe unum: ſiquidẽ neq; ignis & aqua idẽ ſunt. Quòd ea omnia unum nõ ſint, ſed ex ipſis quodq; propriam uim atq; naturã trahant, uel hac una re tibi maximè conſtare poſſet, quia pharmaco quod pituitam ſiue bilem aut flauã, aut atram cit, dato, pituita ſiue bilis flaua aut atra tibi euomitur. Itẽ aliqua corporis pars uulnere affecta, tibi ſanguinẽ emittet. Atq; omnia uſu hæc tibi ueniẽt tam interdiu quàm noctu, tam hyeme q̃ ęſtate, nullo temporis ſpatio intermiſſo: donec homo ſpiritum accipere

redde

reddereq́; poteſt.poterit autem, donec aliquo iſtorũ priuetur cognatorũ. Quæ quis negaret eſſe congenita? cum luce clarius appareat, hominem dum inter uiuos agit, cũ ea omnia in ſe ſemper habere quę nunc dico atq; demonſtro, tum etiam natum altumq; ab homine eadẽ illa omnia habente. Qui autem unum quid eſſe hominẽ putant, hi mihi propterea in hãc opinionem uenire uidentur, quòd ex iis qui epoto pharmaco inter purgationes animã efflarunt: quoſdam bilem, quoſdam pituitam euomentes conſpicati, putarunt hominem quoduis illud eſſe, quod per purgamenta morientem eiicere conſpexiſſent. Eadem nituntur ratione qui hominem dicunt eſſe ſanguinem, quoniã cruorẽ qui ſibi ſub cõſpectũ ex iugulatis hominibus manans ſubiicitur, animũ in homine eſſe putarũt: hęc ſunt, quibus omnes iſti utuntur in ſuis ſermonibus, argumẽta. Verũ qui bilẽ ſolũ per purgationẽ eiecerit, adhuc mortuus eſt nemo, ſed ſumpto pharmaco quod bili mouẽdę eſt, primum bilem, mox pituitã, porro alterã bilẽ atram & quidẽ per uim, tum demum moribundus ſanguinem euomit purum: quod idem contingit his qui ſumunt potiones pituitam mouentes. Primũ enim

enim pituitam, deinde bilem flauam, ex hac atrã, postremò sanguinem purũ euomunt, atque è uestigio finiunt uitam. Nam pharmacum cum corpus intrarit, primò id quod omnium maxime sibi secundum naturam cognatum atque simile est, agit: exinde reliqua trahit & purgat: quemadmodum stirpes & semina terrã ingressæ, sibi quod ex ipsarum natura est trahunt uel acre, uel amarum, uel dulce, uel salsum, uel aliud quid diuersum, in primisq; ex eo plurimum, quod sibi naturali propinquitate maxime coniunctum est, arripiendo, tum cætera deinceps attrahendo. Talem quoque modum pharmaca seruant. quæ bilem mouent, primum meracissimam purgant, deinde mistã. Item pituitæ pharmaca primum meraciorem pituitam ciunt, pòst confusam. Iugulatis sanguis fluit, primò quidem feruentissimus atque perquã rubidus, mox magis pituitosus magisque biliosus. Hyeme crescit in homine pituita. quòd ipsa præcipue ex omnibus quæ in corpore sunt, natura sua, eo tempore frigidissima, est argumento: quia si pituitã, bilem, sanguinem tangere libuerit, pituitam profectò facile omniũ algidissimam reperies: tamen & si lentissima sit, ac non

nisi

nisi summa cum uiolentia secundum atram bilem citetur. Quæ enim per uim ueniunt, ea propter uiolentiam feruentiora redduntur. Sed tamen præ his omnibus pituita suapte natura multò frigidissima apparet. Quòd autem hyems corpus pituita impleat, tibi patebit, cum ex sputo & mucco ac pituita nasi, quæ hyeme supra modum fluentia emunguntur, tum uerò ex cæteris morbis pituitosis, præsertimq; tumoribus qui præcipue eo tempore maxime albicant. Vere autem pituita in corpore ualentissima inest: sed sanguis crescit, suscipitque in dies maius incrementum. tunc enim frigora remittũtur, & imbres relaxantur, ex quibus & dierum quoque tepore sanguis augetur: cuius naturæ id anni tempus, quoniam humidum est & calidum, maxime consimile existit, indicio quòd homines uerno æstiuoque tempore potissimum torminibus corripiuntur, ac supra modum calescunt & rubent, atque sanguis è naribus fluit. Aestate uerò adhuc sanguis cum uiget, sed bilis effertur accrescitque, & in autumnum pertinet. In autumno sanguiuis paruni est, quia illius naturæ id temporis contrariũ habetur. Bilis & æstiuo & autumnali tempore

imp

imperium corporis obtinet, argumento, quòd homines & ſponte ſua & per purgationum potiones bilem biliosiſsimasque res euomunt uel excernunt: quod item ex febribus & hominum coloribus patet. Pituita æſtiuo tempore longe infirmiſsima eſt, quòd ei tempus ob calores ſiccitatesq; uehementer aduerſatur. Autumno, ſanguinis quota pars eſt in homine? quoniam id tempus ſiccum eſt, & hominem iam refrigerare incipit. Sed atra tunc bilis, quàm plurima eſt & potentiſsima, quæ inſtante uerò hyeme decreſcit imminuiturq; refrigerata. Rurſus pituita uiciſsim augetur, tum ab imbribus numeroſioribus, tum à noctibus longioribus. Profectò hæc omnia ſemper habet corpus humanũ: quæ certe non negauerim pro temporis circunſiſtentis qualitate, ac propria cuiuſq; natura, ſeparatim modò maiora, modo minora fieri. Vt annus omnis omniũ iſtarũ rerum caliditatis ſcilicet & frigiditatis & ſiccitatis & humiditatis particeps eſt: neq; enim quæpiam illarũ uel quota temporis parte conſiſteret, ſine reliquarũ omnium quæ in hoc mundo ſunt, cõſortio: imò ſi qua deficeret, omnes ſimul abolerẽtur: quippe quæ ab eadẽ ſunt conſtitutæ neceſsitate, inui-

cemq́; aluntur & ſuſtentantur. Simili modo homo, ſi quid eorũ ipſi deficeret quæ congenita ſunt, nõ amplius uitam degere poſſet. In anno, modò hyems maxime, modo uer, modo æſtas, modo autumnus uiget, haud aliter in homine interdũ pituita dominatur, interdum ſanguis, interdũ bilis, tum flaua, tum atra, euidentiore quoq; argumento: quia ſi quater in anno eidem homini unam eiuſdẽ generis potionẽ dederis, hyeme tibi euomentur pituitoſiſsima, uere humidiſsima, ęſtate bilioſiſsima, autumno nigerrima. Cum igitur hæc ita ſe habeant, oportet ægrotationes quæ hyeme incremẽtum ſuſcipiunt, æſtate deſinere: & econtra, quæ æſtate creuerint, hyeme terminari, niſi intra dierum circuitum, de quo poſtea loquemur, abſoluãtur. Vernorũ morborũ liberatio in autumnũ expectanda eſt, Autumnales autem, ueris tempore liberentur neceſſe eſt. Hæc uerò quiſquis ſtata tempora ſuperauerit, hunc fore annuum ſcire oportet. Sic medicum morbis mederi oportet, habita bene cuiuſq; quod in corpore pro tempore & eius natura uiget, ratione. *in primisq́; pręterea nõ ignorare debet, morbos qui ex impletione proficiſcuntur, exinanitione curari

*Galen⁹ nõ putat Hippocratis eſſe reliqua omnia quę ſequunt.

rari: & ediuerſo, qui euacuefactione proueniunt, ſanari ſaturitate. Qui à labore, hos quiete: qui ex otio, eos exercitatione euinci. In ſumma, oportet medicum ſcire obſiſtere inſtantibus & morbis & formis & temporibus & ætatibus, & contenta laxare, & laxata contendere. tali nanq; modo morbi uitium facilimè deſiſtere poterit. Et hoc mihi ſanatio eſſe uidetur.

OBSERVATIONES morborum.

Morbi alii à uictus genere, alii à ſpiritu quem trahentes uiuimus, proueniunt. Sed de utriſque hoc modo diſceptari atque diiudicari oportet. Cum una ęgritudine complures eodē homines tempore corripiuntur, cauſam ad id reiicere debemus, quod maximè commune eſt, quoq́; omnes utimur: id autem ſpiritus eſt quem accipimus reddimusq́ue: tunc enim uictū noſtrum nequaquā in cauſa eſſe manifeſtò cōſtat, cum morbus omnes pariter attingit, tam iuniores quàm ſeniores, tam fœminas quàm mares, tam temulentos quàm abſtemios, tam qui ordeaceū quàm qui triticeum in cibatu ſumūt panem, tam qui parum quàm qui multum laborant.

Ergo non uictus rationi in causa ponendum est: cum homines quoquo uescendi modo utentes in eandẽ incidunt ægrotationem. Cum uerò eodem tempore diuersi morbi gignuntur, sine dubio uictus cuiusque culpa est. Oportet itaq; remedia adhibere cum morbi occasione, quẽadmodum à nobis alibi dictum est, repugnando, tum etiam uictus genera mutando: quãdoquidem cibos quibus homo uti solitus est, nequaquam aptos esse liquet, uel uniuersos uel plerosque uel unum eorum quempiam: quod cum didiceris inspecta tamen & cõsiderata, ut à me iam dudum dictum est, hominis natura, ætate, forma, & anni tempore, & morbi genere: debes uictum mutare & remedia facere, modò demendo, modo addendo: cum hoc ut omnem curationem tuam siue uictum ad cuiusq; ætatis habitũ, tempora, formas, morbosq; dirigas. Atqui si morbus unus omnes promiscue & uulgo infestat, clarum est non uictum, sed quem trahimus spiritum, in causa esse. quippe qui morbidam planè quãdam excretionem habeat. Perpetuum igitur est homines per id temporis hæc admoneri, scilicet ne uictum mutent qui morbi causa non existat: prospiciant ut

corp

corpus ſit quàm ſolidiſsimum atque attenuatiſsimum, cibis potibusq́; quibus uti conſueuerint, ſenſim demendo: quia ſi feſtinantius uictus mutaretur, à mutatione periculum foret aliquid in corpore innouandi. Quare ſolito uictu utendum eſt, cum noxæ cauſa ſit nulla hominis. Inſuper ut quàm pauciſsimus ſpiritus corpus ingrediatur, isq́; ut maximè peregrinus ſit prouidẽdum, tum loca, in quibus morbus graſſatur, quoad fieri poteſt, mutãdo, tum corpora attenuãdo. ſic enim minime multo ac denſo homines egeant ſpiritu. Morbi qui à corporis membrorum ualidiſsimo proficiſcuntur, grauiſsimi ſunt: atque ſi ibi ubi cœpti ſunt, manſerint, neceſſe eſt ualidiſsimo membrorum laborante totum corpus laborare. Sin autem ab imbecillioribus ſe in ualidiſsima inſinuauerit, facilius abſoluuntur, quia ui facilè uindicantur quæ influunt.

DE VENARVM natura.

VEnæ corporis craſsiores ad hunc modum oriuntur, quatuor paria ſunt. Primũ quod ab occipite tendit per ceruicem ſumma perreptans latera ſpinæ, ad clunes & crura: deinde per tibias & mal-

leolos exteriores ad pedes. quã ob rem doloribus dorſi & coxarũ, de poplitibus malleisúe exteris ſanguinẽ mitti ſolitum eſt. Secundũ uenarum par, de capite circũ aures pet ceruicem, iugulariæ dictæ ſunt: intus propter ſpinam & lumbos ad teſtes & femora perfertur, atq; per poplites & tibias propter interiores malleolos ad pedes. Quapropter doloribus lumborum & teſtium ſanguinẽ poplitibus aut malleolis mittimus interioribus. Tertiũ par uenarũ, à temporibus per ceruicẽ ſub ſcapulis porrigitur ad pulmones, & altera de parte dextra in ſiniſtrã pergens mammam ſubit, & ad lienem renemq; deſcendit: altera de ſiniſtra in dextram procedẽs à pulmonibus mammam ſubit, mox iecur petit & renem: utraque poſtremò ad podicem deſinit. Quartum par à ſincipite, de ſede oculorum per ceruices ad humerorum clauiculas deuenit, unde per lacertos ad agilem, mox per cubitos ad uolam & digitos, unde intus remeãs ad alas propaginem mittit, quæ ſummas coſtas perreptat, dum altera ad lienem, altera ad iecur perueniat: deinde utraque eminens per uentrem ad genitale deſinit. ita uenæ craſſiores habent. Procedunt quoque à uentri

Quæ hic de uenarũ partitione dicunt Galenus abſurdiſsima eſſe aſſerit, & pugnãtia cũ iis quę ab Hippocrate ſcripta ſũt libro ſecũdo epidemiarum.

triculo per corpus aliæ permultæ & uariæ uenulæ ramulorum modo, per quas alimentum corpori transmittitur, quod à crassis uenis & interioribus & extimis ferunt uentriculo, & reliquo corpori sibique inuicem subministrant, internæ scilicet externis, & externæ internis. Quam ob rem has mittendi sanguinis rationes seruare aptissimum est. Operæque pretium est, ut cultellus quàm longissimè à loco ubi dolor esse & sanguis cogi didicit, adigatur: quia tali modo haud magna repentè mutatio fieret & consuetudo remoueretur eôdē amplius coëundi. Omnibus qui aut febre integri multum puris excreant, aut dolore uacui sedimentum urinæ admodum purulentum, aut stercora cruenta, sicut in torminibus, & diuturna habent: qualia esse solent iuuenibus quinque & triginta annos natis, & hominibus etiā grandiore æuo: his omnibus eadē illa res morbi causa existit. Quapropter eos exercitationibus atque corporis laboribus deditos esse oportet, ac ne operariorum quidem labores in adolescentia subterfugere, deinde laboribus remissis, corpus implendum est molli carne, & à priore multum differente, ita ut adeptū & ad-

uentitiũ corpus à ſuperiore & uernaculo diſcriminis habeat multũ. Si qui igitur ita affecti quandoq; in ægrotationem incide rint, quàm primũ euadunt. ſed pòſt à morbo, ſubinde temporis curriculo corpus liquatur, & ad ſaniei effigiẽ per uenas, quæ latiſsimæ & peruiæ ſunt, diffluit. Quòd ſi ad inferiorẽ uentriculũ cite ruit, tale ferme quale intus erat, foras mittitur per meatus ſeceſſum. quippe quod, utpote uia decliui & lubrica, haud diu in inteſtino detineatur. Quibus in pectus deſtillarit, ſuppuratione infeſtantur: quia diutius in pectore ſedẽs cũ ueluti accliui expurgatione ſurſum uerſus difficulter eiiciatur: marceſcit & ſuppurat. Si ad ueſicam eruperit, à loci calore calefit, albũ redditur, ſecernitur ac rarefit, rarefactũq; deſup fluitat, pars craſſa ſubſidet, quæ pus dicitur. Ideoq; pueris calculi cõcreſcunt, ob eius loci & reliqui corporis caliditatẽ: quod uſu uiris nequaquã uenit, propter corporis frigiditatem. Non alienũ eſt ſcire, hominem prima die ſupra quàm poſsit, eſſe calidiſsimũ, nouiſſima autem frigidiſsimũ: neceſſe enim eſt calere corpus quod adoleſcit, & ad uires incrementumq; tendit: ediuerſo illud ſupra modum frigere, quod cœperit aboleri

& tanquam maturum ac uietum atque caducum in ruinam præceps festinare. Atq; hac ratione homo prima die quãtò maximum suscipiat incrementũ, eò magis calescit: sic extrema, quantò plurimum uitalis roboris detrahitur, tantò frigidiorem esse necesse est. Ex illis autem qui prædicto modo affecti sunt, plerique sponte sua, si tempestiue, scilicet quinto & quadragesimo die liquari cœperint, sanescunt. Sin autem eam dierum metam præterierint, per se annum conualescunt, nisi uerò quapiã alia re homo offendatur. Morbos qui sensim oriũtur & quorũ causæ cognitu faciles existunt, tutissimos appellare licet. Quare præsentissima curatio, si quàm primum morbi causæ occurratur: qua sublata, morbus absque negotio discedit.

DE VRINIS.

QVibus in urina ad arenularum similitudinem aliquid subsidit, seu pori, id est tophi lapilli, his tubercula ad crassam uenam enata sunt, atq; suppurue- runt: deinde cum ea haud ita citò erumperentur, pori deuoluti ex pure per uenã, simul cũ urina in uesicã extruduntur. Si urinæ cruẽtæ sunt, in uenis uitiũ est. Si urina

quæ crassa est, habuerit ad effigiẽ capillamenti carũculas admodum minutas, signo est uitiũ esse in renibus & articularibus. Si pura & in summa urina ueluti furfures huc illucq; innatent, scire licet uesicę scabiem subesse.

DE FEBRIBVS.

MAgna ex parte febres à bile sunt. genera earũ quatuor sunt, absque illis quæ doloribus eueniũt. Nuncupantur autem, cõtinens, quotidiana, tertiana, quartana. Continens, à copiosissima atq; meracissima bile prouenit, & perquàm breui iudicatur. quoniam corpus à uehemẽti calore feruefactum, dum nullo temporis interuallo refrigescit, celeriter soluitur & absumitur. Quotidiana, secundum continentẽ à largissima bile est, & ex omnibus aliis citissime euincitur. longior est continente, quo pauciore ex bile uenit. tum qa corpus propter intermissionẽ requiescit: in continente autem nullo unquam tempore quietem habet quia nulla fit intercapedo.* Tertiana, diuturnior est quàm quotidiana, à minore bile accedit. quantò plus in tertiana quàm in quotidiana corpus requiescit, tantò diuturnior est, quàm quot

*Quę hic de febribus dicũtur, ineptissima

quot

quotidiana. Quartana alioquin pari ratione longe diuturnior tertianis eſt: tum quia minus bilis habens æſtum afferentis, tum quia corpus amplius refrigeſcit, quod ab atra bile id ſuperantis materiæ profici-ſcitur ac difficulter euellitur. Nam cum ea inter omnes corporis humores lentiſsima, & glutinoſiſsima ſit: diuturniores ſedes conſtituit. Quòd autem febres quartanæ, atræ bilis participes ſint, hac re tibi patebit quòd homines autumnali potiſsimum tempore, & in ætate uigintiquinq; annorum uſq; ad quadrageſimum quintum annum, quæ ex omnibus ætatibus, maxime atra bile detinetur, corripiũtur quartanis, quibus autumnus inter omnia alia anni tempora expoſitiſsimus eſt. Quos igitur ultra citráue id tempus ac eam ętatẽ quartana acceſſerit, pro comperto habere debes hanc febrem minime diuturnam fore, niſi quid aliud homini officiat.

ſunt, & ab ijs q̄ Hippocrates ſcripſit primo epidemiarũ diuerſa, qua ratione Galenus puincit appendicẽ hãc non eſſe Hippocratis.

LIBRI DE NATVRA HVMANA FINIS.

HIPPOCRATIS COI DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACUTIS : SEU, DE PTISANA, LIBER PRIMUS

GVILIELMO COPO BASILIENSI INTERPRETE.

Priſcorum medicorum tres fuiſſe familias meminit Galenus libro primo de curandi uia & ratione. Vna eorum fuit medicorum, qui Coum inſulam incolebant: quorum princeps fuit Hippocrates. Alia Rhodiorum. Tertiæ ſectæ authores Gnidij uocabantur, à Gnido inſula: una ex quinque Cycladibus. Horum placita Hippocrates hoc loco Gnidias ſententias uocat.



1 VI Gnidias uocatas ſentẽtias poſteritati literis prodiderunt, quãuis in ſingulis morbis & affectus & accidentia quædam ægrorum rectè quidem illi ſcripſerint, tamen ea duntaxat attigerunt, quæ nullo ferè negotio ſcriberet is quoq;, qui medicinam non didicit, ſi laborantem accurate

curatè ſuper ſingulis affectionibus interrogaret. quippe multa, quæ non referente ægro, medicum prænoſcere neceſſe eſt, præterierunt. atque in aliis quidem alia, 2
quorum nõnulla non mediocrem ad coniecturas commoditatem habere uidentur. Igitur de his quæ uel ad coniecturã, 3
uel ad curationis rationem pertinẽt, equidem longe aliter atque illi enarrauerunt, ſentiendũ puto. Quapropter eos haud- 4
quaquam laudauero, idq; non ſolùm ob hanc cauſam, uerum etiam quòd paucis admodum medicamentis uſi ſunt. Nam præter ea quæ de acutis morbis pręcipiũt, hæc duntaxat tradiderunt, elaterium, ſerum, & lactis ſuo tempore potionẽ. Quæ ſi ſatis efficacia ad morborũ curationem eſſent, ipſi ſumma laude fuiſſent extollendi, utpote qui pauca admodum, ſed quibus nihil deeſſet, præſcripſiſſent. Id uerò longe abeſt à ueritate. Proinde poste- 5
riores, ſuſcepto corrigendi munere, medica magis uia, ea quæ ſingulis exhibenda ſunt, inſtituere tentauerunt. Etenim 6
de uictus ratione, ueteres nihil penè ſcripſerunt, ſed hanc partem haudquaquam contẽnendam præteriiſſe uidẽtur: quam- 7
uis nonnulli ſingulorum morborum ua-

rietates, multifidosq́; ipſorum modos, nō
8 ignorarent. Quinetiam in hoc peccauerunt, quòd omnium morborum numerum manifeſtè deprehendere conati ſunt. id uerò perdifficile eſt, ſi inde coniecturam feceris, quòd morbi inter ſe differunt, nullusq́; ſit idem morbus, niſi idem quoque nomen ſortiatur. Mihi uerò placuit uniuerſæ huic arti ſic mentem adhibere, ut enarrata in ipſa ſingula officia, probè perficiantur, & quæ celeritatem deſyderant, celeriter, & quę puritatem, purè: & quibus dolor accedere non debet, ea iucundiſsime tractentur, ac reliqua id genus omnia ſecundum hunc modum, qui à proximo illo planè abhorret, in meliorem formam redigantur. Quocirca illum medicum in primis laudandum putauerim, qui in acutis morbis, ea quæ plures enecare ſolent, longè diuerſa ab aliis ratione, in melius commutare poteſt. Igitur hi ſunt acuti morbi, quos ueteres uocauerunt coſtalem, peripneumoniam, inſaniam, lethargum, ardorem, & ſi qui alii illos ſequantur, inter quos omnino febres
9 continuæ ægrum interficiunt. Quum enim nullum commune peſtilentis morbi genus graſſatur, ſed diſperſi, diſsimilesq́;

lesq; fuerint morbi, ii magis quàm reliqui
omnes hominem perimere solent. Idio- 10
tæ uerò, quod ad huiusmodi morbos per-
tinet, sicuti nequeunt quantum quisque à
proximo differat, discernere: Ita modò 11
has, modo illas curationis formas, aut
laudant, aut uituperant. Cuius rei haud 12
mediocre indicium est, quòd horum mor
borum curandi rationem populares, ut-
pote rudes, omnino ignorant: medicos
enim arbitrantur esse eos qui medici non
sunt, maxime ubi dictorum morborum
genus aliquod inciderit: facile enim est
apud ęgros nomina usu comprobata pro-
ferre: quippe si aut ptisanæ cremorem,
aut uinum aliquod, aut aquam mulsam
quis nominauerit, uulgares hæc eadem
apud medicos, tum prestantiores, tum de-
teriores sine ullo discrimine in usum ue-
nire existimant. uerùm econtrario res sese
habet: nam longo interuallo, quantum ad
iam proposita attinet, inter se dissident.

Igitur scribere aggredior, in primis ea, 13
quæ quãuis scitu utilia sint, tamen à medi
cis ignorantur, deinde ea quoq; quæ ma-
gnopere uel iuuare, uel lædere consueue-
runt. Quæ ignorantur hæc ferè sunt. Cur
alii quidẽ medici non colatã ptisanã per-

petuo

petuo exhibentes, minime ſe errare putãt.
alii uerò omnino præcipiũt, ut ne hordeũ
quidẽ ullum laborãs deuoret, magnã inde
noxã timentes, ſed per linteum colatum
cremorẽ exbihẽt. Sunt qui neq; craſsiorẽ
ptiſanã, neq; ſuccum eius dandum cen-
ſeant, idq́; alii uſq; ad ſeptimum diem, alii
14 donec *finiatur morbus. Sanè huiuſce-
modi quæſtiones, medici neq; propone-
re, neque propoſitas explicare conſueue-
runt. Quã ob rẽ populares graui admo-
15 dum calumnia uniuerſam artem damnãt,
perinde ac ſi nulla uideatur eſſe medicinę
16 profeſsio. Tanta enim eſt artificũ inter
ſe pugna, ut quod unus ſaluberrimum, id
alter protinus pernicioſum eſſe cõtendat.
Atq; hac ratione factum eſt, ut diuinatio-
ni ferè ars ipſa comparetur. Siquidem au-
gures, eandem auẽ, ad ſiniſtram quidem
fauſtã, ad dextrã uerò infelicẽ eſſe putãt.
Similiter ubi uictimarum exta inſpectan-
tur, talia quædã inueniri ſolẽt, à quib⁹ de-
inde uatum nõnulli omnino diſſentiunt.
Hanc perpenſionẽ, tum honeſtiſsimã eſſe,
tum cognatione quadã, plurimis, eiſdẽq;
perquã utilibus in arte rebus, cõuenire di-
17 xerim: utpote quæ ægris uniuerſis, magna
quadam ui, ſanitatem, ſanis ſecuritatem,
exercit

* κριθῇ. id eſt, iudicetur.

exercitantibus bonum habitum, & quic-
quid aliud quoq; uolueris, pollicetur.

DE PTISANA.

IGitur ptiſana in his morbis, cæteris 18
quæ ex frugibus conſtant pulmẽtariis,
mea quidem ſententia, rectiſsime antefer-
tur: neque mediocri laude efferendi ſunt
ii, qui eam anteponere decreuerunt. Nam
uiſcoſitas eius lenis, continua, iucunda,
lubrica & modicè laxa eſt, ſitim arcet, &,
ubi ablutione opus eſt, facilè deſcendit,
non aſtringit, non uellicat grauiter, neq;
in uẽtre tumeſcit, quippe quũ decoquere-
tur, tumuit quantũ maxime tumeſcere po
tuit. Cæterum qui in huiuſmodi morbis 19
ptiſana utũtur, ne una quidem die uenas,
ut ita dicam, concidere ſinant, ſed ab eius
uſu nequaquam deſiſtant, niſi aut medica
mentum aut clyſter id impediat. Proin- 20
de qui bis die cibum ex conſuetudine ſu-
munt, bis quoq; ptiſana eis exhibenda eſt.
Qui uerò ſemel duntaxat, iis primo qui-
dem die ſemel tantum detur, facta tamen
additione. Quod ſi fieri poteſt, bis quoq;
exhibeatur, ubi uidelicet res ita expoſtu-
lare uidetur. At in principio neque mul- 21
tam, neque craſſam dare, ſed aliquid tum
conſuet

consuetudinis gratia, tum etiam ne uenæ
22 concidant, ingerere cõuenit. Sed de sor
bitionis incremẽto animaduertendũ est.
Nam si quàm aridissimum esse conieceris
morbũ, haud ita multũ ipsius dare opor-
tet: sed ante sorbitionẽ, aut aquã mulsam,
aut uinum, utrum magis profuturum exi-
stimaueris, propinare. utriusq; uerò usum
in singulis affectionibus postea dicemus.
23 At si humidum fuerit os, & quæ à pul-
mone excernuntur debitam qualitatẽ ser-
uauerint, augenda est, ut summatim dicã,
sorbitionis quantitas. quippe quò copio-
sior, citatiorq́; humor apparuerit, eò matu
riorẽ: quò uerò tardior, minorq́;, tardiorẽ
morbi* finem denuntiat. Verũ hęc ipsa
24 per se magna ex parte talia deprehendun-
tur. multa uerò haud inutilia à quibus cõ-
iecturas capere oporret, hic omisimus, de
25 ipsis postea dicturi. Cæterum quò co-
piosior fuerit purgatio, eò cibum oportet
esse auctiorem, idq́; usq; ad morbi iudica
tionẽ, cuius impetus magna ex parte duos
dies non excedit, ubi uel quinto, uel septi
mo, uel nono die morb⁹ finiri debet. quo-
circa & pares, & impares dies accuratè
26 perpendere oportet. His ita cognitis,
sorbitionem matutino quidem tempore
exhibe,

*κρίσιν. i. iudiciũ.

exhibe, uespere autem ad alios etiamnum cibos transire poteris. Huiuscemodi igi- 26
tur institutio, magna ex parte iuuat eos, qui protinus ab initio tota utuntur ptisana. Quum itaque pleuritici aliquid no- 27
tatu dignum screare & expurgare cœperint, dolores ipsorum ilico sua sponte desinunt. Quinetiam purgationes hoc pacto longe perfectiores sunt, minusque suppuratione afficiuntur, quàm si aliena uictus ratione educarentur. insuper iudicationes simpliciores, facilioresque fiunt, neque tam facilè morbi reuertuntur. Sane pti- 28
sanam ex hordeo quàm optimo facere, & eam probè concoquere oportet. idq; præsertim si non solo cremore uti decreueris.

Sic enim præter reliquas ptisanę cõmo- 29
ditates, lubricitas eius prohibebit, ne inter deuorandum, noxam inferat hordeũ, neq; enim adhęrebit, neq; per thoracem transeundo morã faciet, Quũ enim studiose 30
coquitur, perquàm lubrica euadit, sitim nequaquã excitat, atq; ut facilime concoquitur, ita imbecillima est: quibus nimirum omnibus indigemus. At nisi exqui- 31
sita fuerit huiusmodi sorbitionis pręparatio, adeò ut nihil desit, quò minus expectatũ auxiliũ pręstet, noxia sępenumero efficitur.

32 citur. Etenim quibus cibus recẽs conclusus
est, si, eo nõ uacuato, sorbitio detur, dolor
iam instãs iritabitur: aut si dolor non est,
protinus inducetur, spirit⁹ reddetur quàm
frequẽtissimus, id quod non mediocre ma
lum est. nam pulmo exiccatur, & præcor-
dia, abdomen, atque septum transuersum
33 dolore cruciantur. Quinetiam ubi late-
ris dolor continuus est, atq; calidis fomen
tis non leuatur, neque procedit sputum,
sed lentum, & incoctum est, si tum neque
alui ductione, neque sanguinis missione,
si horum auxiliorum alterutrum conferre
uideatur, dolorem solueris, sed ptisanam
sic affectis exhibueris: nihil obstabit quo
34 minus pręcipiti morte rapiãtur. Itaq; ob
has causas, atq; id genus alias, qui totam
ptisanã ingerũt, uel septimo die, uel citius
moriuntur, ac alii quidem dementes, alii
uero à spiritus difficultate stertẽtes suffo-
35 cãtur. Proinde uetustissimi, eos sydera-
tos esse putabant, cum ob eas quas modò
commemorauimus causas, tum uerò quòd
mortuis, latus liuore affectum ad plagæ
36 similitudinẽ uidebatur. Cuius rei causa
est, quòd perseuerante adhuc dolore mors
ipsos pręoccupat. citãtur enim spirationes.
Ex multa uerò frequentiq; spiratione, ut
dixi

diximus, ſputum incoctũ, uiſcoſumq́; factum, nõ procedit: ſed in pulmonis meatibus retentũ, ſtertorem efficit. Quum itaq; ad hoc difficultatis peruenerit, magna ex parte mortiferum eſſe cõſueuit. Quippe 37
retentum ſputum, prohibet aëris ad interna lationem, ipſumq́; celeriter egredi cogit. Quo fit, ut uiciſſim alterum ab alte 38
ro male afficiatur. ſiquidem retentum ſputum, ſpiritum frequentẽ reddit: ſpiritus autem frequẽs, ſputum ſic facit uiſcoſum, ut elabi non poſſit. Solẽt uerò ea, quæ ſu- 39
pra diximus, accidere, non ſolum ob ptiſanam importunè ſumptam, uerum etiam multo magis, ſi quid aliud edatur, uel bibatur, quod ſit ptiſana deterius. Ergo eaſ- 40
dem ferè commoditates magna ex parte adipiſcũtur, & ii qui tota ptiſana, & qui ſucco ipſius, quiq́; neutro horum, ſed potione duntaxat utuntur. Atq; accidit interdum ut diuerſæ ſint ſingulorum commoditates. Id uerò omnino obſeruandum 41
eſt, Si quempiam qui non ita dudum cibum accepit, nec alui adhuc onera deiecit, febris, uel unà cum dolore, uel etiam ſine dolore corripuit, ſorbitio danda non eſt, donec conieceris cibum ad imas inteſtinorum partes deſcendiſſe. Infeſtante itaq; 42

dolore,potui dandum eſt oxymel, hyeme quidem calidum, æſtate uerò frigidum. Sed ubi ſitis uehementer cruciat,& aquam mulſam, & aquam ipſam dare conuenit.
43 Deinde ſi uel dolor, uel periculum aliquod aliud imminet, danda eſt ſorbitio, ſed neq; multa,neque craſſa,ac ne id quidem prius quàm dies ſeptimus * præterierit,ſi uires ægri ſufficiant. Illi qui nuper
*Vel nonus
44 cibum accepit,ſi uires ualẽt,& uiget ætas, clyſter immitti debet, ſi cibus iampridem ſumptus, nondum deſcenderit. Imbecillo autem glandem ſupponere oportet,niſi
45 ſponte deiectio ſequuta eſt. Sane tempus exhibendæ ſorbitionis,tum ab initio tum per totũ morbi decurſum ſummopere obſeruandum eſt. etenim pedibus frigore affectis, non ſolum à ſorbitione, uerum etiam à potione maxime abſtinẽdum eſt. ſed tum dabim⁹ & ſorbitioné & potionẽ, quũ calor ad pedes uſq; peruenerit. Nam hoc tempus quàm maxime opportunum eſt, cum in omnibus morbis, tum præcipue in acutis;potiſsimum ubi & febris, &
46 periculum uehemens ſubeſt. Proinde ſi accuratè,ea quæ ſupra propoſita ſunt animaduerteris,in primis ptiſanę cremorem, deinde ipſam quoq; ptiſanã dare curabis.

LIBER SECVNDVS.

LATERIS dolorem, siue is protinus à principio, siue postea obortus est, non ab re fuerit tentare, tepidis fomentis dissoluere. 1
Calorifico autem fomento, quo aqua calida in utre, uesica, uel uasculo æreo, aut testaceo adhibetur, nullum aliud præstantius est, sed molle aliquod (quò iucundius fiat fomentum) prius lateri apponendum est. Quinetiam utiliter adhibetur spongia magna, mollisque, ex aqua calida expressa. 2
3
Vestiendum uerò fomentum est, ut neque uis eius celeriter deleatur, euanescatque, neque nidor ad ægri spiritũ pertingat, nisi fortasis usum quendam præstare uideatur. nam interdum nonnihil utilitatis in ipso deprehenditur. 4
Ad hæc hordeum & eruum in aceto ita temperato, ut paulò acidius sit, quàm ut ipsum bibere quis posit, macerantur, feruentque, deinde marsupio iniecta adhibentur. Nec secus de furfure quoque sentiendum est. 5
Arida autem fomenta ex sale, milioque fricto rectisime in laneis marsupiis apponuntur. etenim 6

7 milium & leue eſt, & iucundum. Sane
dolores ad iugulum uſque extenſos, hu-
8 iuſmodi fomentum diſcutit. Sectio* au-
tem, niſi iugulum quoque dolor compre-
hendat, haud æqualem in doloris diſcuſ-
ſione obtinet facultatem. Vbi fomentis
9 dolor ſedatus non eſt, non diutius calo-
rificis utendum eſt, ne uel pulmonem exic
10 cent, uel ſuppurationem excitẽt. Quum
ergo ad iugulum dolor extẽditur, aut gra
uitas uel brachium, uel mamillam, aut
partes quę ſupra tranſuerſum ſeptum ſunt,
infeſtat, interna cubiti uena ſecanda eſt.
Neq; dubites copioſum detrahere ſangui
nem, donec uel rubicũdior multò, uel pro
puro, rubidoq;, liuidus effluxerit, utrunq;
enim accidere ſolet. At ſi eas partes quæ
ſub tranſuerſo ſepto ſunt, dolor afficit, ſed
ad iugulũ non aſcendit, tum uel nigro Ve
ratro, uel peplio aluus ducẽda eſt. miſcere
uerò oportet ueratro uel daucum, uel Se-
ſeli, uel Cyminum, uel Aniſum, uel aliud
quidpiam odoris iucũdi. Peplio uerò La-
ſer, id eſt Silphii ſuccum, quanquam &
hęc ipſa ſimul miſta, haud abſimiles uires
obtinent. Cæterum ut hæc ambo quæ
diximus, ita plura quoque alia quæ alui
ducendæ uim habent, dolorem mitigant.

* Scilicet, uenæ

ſed

ſed omnium quæ ego nouerim hæc lon-
gè optima ſunt. Nam & in his quæ ſor- 11
bitionibus miſta uentrem ſoluunt, non-
nihil pręſidii eſt, niſi uel ob amarorem, uel
aſperitatem, aut multitudinem, aut calo-
rem, aut ſuſpicionem aliquam, omnino
fuerint ingrata. Quum medicamentum 12
aliquis ebibit, mox ptiſana ſorbitioni dan
da eſt, non minori penè quantitate quàm
conſueuit. In media purgatione ſorben 13
dum non eſt, ſed ubi ad purgationis finem
deuentum eſt, ſorbitio detur, minor ta-
men quàm pro conſuetudine. Tandem le-
uato dolore, niſi aliud quidpiam obſtite-
rit, liberalius exhibeatur. Idem dixiſſe 14
uelim, quũ ptiſanæ cremor in uſum uene-
rit. Equidẽ ſatius eſſe puto, ut protinus ab 15
initio ſorbitionẽ dare incipias, quàm ter-
tio, quarto, quinto, aut ſeptimo die: quum
uidelicet uenæ conciderunt, niſi ſub hoc
ſpatio morbus fuerit iudicatus. Atque 16
hos ſimiliter, ut ſuperiores, pręparare opor
tet. De ſorbitionis exhibitione, hæc fe- 17
rè ſunt quę dicere decreuerã. Ac de potio-
ne quoq;, qualiſcunq; ex his, quas poſthac
declarabimus, ſumatur, eadem ratio eſt.

DE CONSVETVDI-nis mutatione.

18 SEd non ignoro omnes ferè medicos à
debita obſeruatione, quàm grauiſsime
aberrare, quippe qui ab initio duos, aut
tres, aut etiam plures dies, fame cruciant
ægros, deinde & ſorbitiones, & potiones
exhibent, quòd uidelicet operæpretium
ipſis uidetur, magnæ corporis mutationi
quidpiã quod ualde ſit magnum obiicere.
Equidem mutationem laudo, ſi modica
fuerit, recta enim debet eſſe mutationis
translatio. Maximè uerò in ciborum ex-
hibitione mutationis conſyderatio habē-
19 da eſt. Porrò grauiſsime lęduntur ii, qui
tota utuntur ptiſana, ſi mutationi pecca-
tum accedat. ac læduntur quoque qui ſuc-
cum duntaxat aſſumunt Deinde noxa af-
ficiuntur, qui ſolam potionē accipiũt, ſed
20 minus quàm ſuperiores. Cęterum ut re-
ctam uictus rationē inſtituamus, ſalubria
præcepta quæ per bonã ualetudinem ob-
ſeruanda ſunt perpendere oportet. Quum
enim nõ parũ interſit, hácne, an illa uictus
ratione ſani utãtur: cum in aliis quibuſdã,
tum præcipue in mutationibus, quomo-
do fieri poteſt, quò minus magna ſit in
morbis uarietas, idq́ue maxime in acutis.
21 Quòd autem uitioſam uictus rationem,
quæ nunquam uariat, longe tutius ſit ob-
ſer

ſeruare, quàm ſubitò uel ad meliorē tranſire, facile intelligitur. Quippe ſiue bis, ſiue ſemel duntaxat in die, quis cibum accipere ſolitus eſt, ſi ſubitò conſuetudinem mutauerit, noxam imbecillitatemq; ſubibit. Etenim prandium aſſumens, qui id 22
non conſueuit, protinus imbecillus, grauis, ægrotus, ſegnisq; redditur. Quòd ſi præterea cœnauerit, ructus acidus, & alui leuitas ſubſequitur. grauatur enim ſub inſueto onere uentriculus, qui antea aridus eſſe, ac neq; bis intumeſcere, neque toties cibum coquere ſolebat. Proinde iuuādi 23
ſunt tales compēſata mutatione. ſiquidem dormire eos oportet, tanquam noctem à cœna ducerent, ac hyeme quidem frigus, æſtate uerò calorem uitare. Si ſomnus nō accedit, lento, frequētiq; inceſſu ambulare, ac neq; ſtare, neque cœnare debent, niſi forte perexigua quædam eaque minime noxia ſumant, minus bibere, idque meracius & nequaquam dilutum. Maiori tamen moleſtia afficietur is qui ter eadē die ad ſatietatē uſq; cibum ingeſſerit, ac multo magis ſi crebrius etiamnum aſſumpſerit. Quanquàm ſunt nonnulli quibus nihil moleſtiæ affert, ter in die cibo repleri, pręſertim ſi ita educari conſueuerint. Qui- 24

bus conſuetudo fuerit bis die cibum aſſu-
mere,ii niſi pranſi fuerint,imbecilli,ægro
tique, ac ignaui redduntur,dolore præcor
dia torquẽtur , ueluti ſuſpenſis uiſceribus,
urina calida pallidaq; redditur, & alui ſe-
dimina aduruntur , os amarore afficitur,
oculi cauantur,tempora mouentur,extre-
25 mæ partes frigeſcunt. Sunt pleriq; qui
omiſſo prandio cœnare nequeũt. quòd ſi
tum cœnauerint , uentris grauitate mole-
ſtantur , ac per ſomnum multo magis ue-
26 xantur , quàm ſi pranſi fuiſſent. Quum
igitur eos,qui bona adhuc ualetudine de-
gunt,huiuſcemodi infeſtent accidentia, ſi
per diei duntaxat medietatẽ , ratio uictus
à conſuetudine mutetur, conſtat ut neque
addi quicquã,neque minui utiliter poſsit.
27 Igitur qui præter conſuetudinem ſemel
dũtaxat cibum accepit, deinde exinanitis
toto die uenis, quantum ſolebat cœnaue-
rit,ſi quũ à prandio abſtinuit,& doluit,&
ægrotauit , aſſumpta autem cœna grauis
effectus eſt:par eſt eum multo magis gra-
28 uari. Cui uerò ex longiori ſpatio uenæ
cõciderũt,ſi repentè cœnauerit,multo gra
29 uius afficietur. Reficiuntur autẽ hi qui-
bus pręter conſuetudinem uenę exinanitę
ſunt,ſi eodem die à frigore,calore,& fati-
gatio

gatione tuti ſeruẽtur, quippe quòd omnia
hæc ęgre tolerari ſolent. deinde cœna mul
tò leuior, quàm pro conſuetudine, inſti-
tuenda eſt: eamq; non aridam eſſe, ſed hu-
miditatis modum ſeruare oportet. Vinum
haudquaquam dilutum potare, neque mi-
nus quàm ciborum ratio deſyderat. poſte-
ro die exiguum cibum in prandio ſumere,
ut paulatim ad conſuetudinem fiat redi-
tus. Huiuſcemodi uerò noxas grauiſ- 30
ſime ferunt ii quibus ſuperiores partes a-
mara bile redundant. Quibus uerò in 31
ſuperioribus pituita cõtinetur, ii inediam
præter conſuetudinem magna ex parte fa-
cilè tolerant. quo fit ut minus quoque læ-
dantur, ſi præter conſuetudinẽ ſemel dun-
taxat in die cibo reficiantur. Præterea 32
efficax argumẽtũ uel ex eo deprehẽditur,
quòd maxime in nobis mutationes, tum
naturæ, tum habitus, potiſsimum morbos
pariunt. Quamobrẽ neq; uenas impor-
tune exinanire, neq; uigentibus, feruenti-
busq; morbis aliquid ingerere, neq; etiam
per totũ morbi decurſum, uel ad hoc, uel
ad illud quicquam permutare conuenit.

Multa iis cõſentanea de uẽtriculo dixe 34
ris. utpote ꝗ cibos uel malos, ac potiones
quoq;, ſi ipſis uti conſueuerit, facilè ſuſti-
net.

net. Contrà grauiter ferre ſolet, tum cibos, tum potiones, quamuis ſuapte natura uitio careant, ſi præter conſuetudinem ingerãtur.
35 Quò minus mirandũ eſt, ſi maiore dolore afficitur illorũ uẽtriculus, qui præter conſuetudinem multas carnes, aut allia, aut laſerpitium, aut laſer, aut eius caulẽ, aut reliqua id genus uehemẽtes uires obtinentia, edunt. Nec ulla admiratione capieris, ſi didiceris, mazam præter conſuetudinẽ ingeſtam, tumultum, tumorem, flatum, torminaq; excitare, præſertim ubi quis mazam edere non conſueuit. Et quòd calidus panis ſitim, ſubitamq; plenitudinem præbet: quippe qui ariditatem inducit, tardeq; deſcendit. Item quòd panes, ſeu admodum puri, ſeu cibarii, repugnante conſuetudine ingeſti, differentes inter ſe affectus committunt. Similiter maza ſiue arida, ſiue humida, ſiue uiſcoſa ſit. Ad hæc qualiter recentes polentæ, præter conſuetudinem illas comedentem afficiunt: Sic uini quoq; & aquę præter cõſuetudinem potatio, ſubita in diuerſum uſum facta permutatione. Præterea uinũ quoq; affatim epotum, ſiue dilutum eſt, ſiue meracum. hoc enim uenas implet, & capitis grauitatem ſitimque excitat. illud ſuperiores

riores uentriculi partes laxat, inferiores fla
tibus cruciat. Idem ex uino, tum albo, tum
nigro accidet, ubi ſubita fuerit à conſue-
tudine mutatio. quãuis enim uinoſum fue
rit utrũq;, magno tamen diſcrimine, corpo
ris reſpectu, alterum ab altero differt, ut
nihil mirum ſit, ſi dulce, idemq́; uinoſum
uinum, ubi ſubita fuerit mutatio nõ idem
efficere uideatur. Cæterum hanc ſenten 36
tiam, contraria quoque ratione fulcire o-
portet. Siquidem in iis ratio uictus per- 37
mutata eſt, corpore non permutato, ut ne-
que ob auctum robur cibos addere, neque
ob infirmitatem eos minuere oporteret.
In ſingulis itaq; perpende & uim & ſpe- 38
ciem morbi, atque hominis naturam, ac
ægrotantis in uictus ratione conſuetudi-
nem, non ſolum in cibis, uerum etiam po-
tionibus. Sed perquàm modice, addi- 39
tioni ſtudendum eſt. ablationi uerò in to-
tum intendere, ſæpenumero prodeſt: Mo 40
dò ſufficere poſsit infirmus, donec per ui-
goré morbus maturus fuerit. Id ubi fa- 41
ciendũ ſit, poſthac perſtringemus. Cæte- 42
rum quãuis multa iam dictis conſentanea 43
ſcribi poſſent, tamen res de qua plurimum
habui ſermonẽ, efficacius teſtimoniũ non
deſiderat, quippe quæ commodiſsimum
con

contemplanti præbet aditum. Incipientibus igitur acutis morbis, accidit interdũm ut laborãtiũ alii eodẽ quo incœperũt die cibos ingerant, alii poſtero die, alii quicquid forte fortuna nacti ſunt ſorbeãt, alii cyceonem, id eſt cinnum bibant. Quorum error etſi grauior eſt, quàm ſi diuerſa uictus ratione uſi fuiſſent, tamen longe minus læditur is, qui hac occaſione peccauerit, quàm ſi duobus, tribusúe primis diebus uenas penitus cõcidere ſinẽs, mox quarto quintóue die huiuſmodi uictus rationem aggrediatur. Sed longè grauiſsimum eſt, ſi oĩbus iis diebus uenas exinaniri pmittat: deinde poſterioribus diebus, prius tamẽ q̃ morbus maturetur, ad huiuſmodi uictus rationem ſe cõuertat, ſiquidẽ plurimi hoc pacto mortis periculũ ſubeunt, niſi ſalubris admodum fuerit morbus. Errores autem ab initio protinus commiſsi, non ita difficulter corriguntur, ſed faciliorem certe admittunt medelam.

44 Hoc documento nullum aliud puto ſalubrius quòd primis diebus nullum ſorbitionis genus ſubtrahendum eſt his, qui paulò poſt uti ſorbitione quauis cogantur.

45 Etenim qui hordeacea ptiſana utuntur, penitus neſciunt ipſam noxiam eſſe, ſi tribus, quatuor, plurib

rib

ribusúe diebus, exinanitis iam uenis sorbere incœperint. Neque etiam cremorem eius duntaxat accipientes, quum non rectè sorbere incœperint, noxam sibi inferri intelligunt, sed tum primum & cauent, & periculi magnitudinē agnoscunt, quàm ante morbi maturationem, quis hordeaceam ptisanam sumit, qui cremore eius uti solebat. Vnde manifestissime colli- 46
gitur, medicos non recte ægrotis uictus rationem præscribere. quippe qui in morbis, non uenarum exinanitione, sed sorbitione egentibus uenas concidere permittunt. Contrà ubi à uenarum exinanitione ad sorbitiones transire periculosum est, ipsi confestim transmutando plerunque peccant. Ac nonnunquam à uenarum inanitione, ad sorbitiones eo tempore transeunt, quo satius esset, ita exigente morbi iritatione, à sorbitionibus ad uenarum exinanitionem transire. Qua- 47
propter quibusdam ex capite ac pectore cruda bilis attrahitur, quibus uigilia quoque morbi maturationem impediens accedit, mœstitia, amaritudineque infestantur, delirant, ac splendentia quædam ipsorum oculis obiiciuntur, aures sibilo implentur, extremæ membrorum partes

infri

infrigidantur, urinæ redduntur incoctæ, sputa tenuia, salsa, colore syncero, exigua, sudores à ceruice profluunt, anxietate uexantur, spiritus errat, quippe quum sursum fertur aut frequens est, aut ualde magnus, supercilia grauantur, animi defectio urget, eaque mala, uestes à pectore proiiciunt, manus tremore afficiuntur, imum labrum nonnunquam concutitur.

48 Hæc si ab initio apparuerint, delirium, & quidem multum ac uehemens denuntiant, atque æger magna ex parte mori-

49 tur. Quòd si mortem effugerit, aut cum abscessu, aut sanguinis fluore è naribus, aut crassi puris sputo liberatur, nec aliter

50 euadere poterit. Neque uideo medicos harum rerum experientia ita exercitatos, ut imbecillitates in morbis discernant, siue ob uenarum inanitionem, siue ob aliam quandam iritationem, ut uel dolorem, uel morbi uehementiam, eueniant. Neque eas affectionum species dignoscunt, quas uel natura nostra, uel habitus, singulis efficere solet: quanquã ab iis, uel salus, si cognoscãtur, uel mors, si propter imperitiam

51 lateãt, expectanda est. Sanè ut grauissimum peccatum censetur, si uel ob laborem, uel morbi uehementiam imbecillo, ali

aliquis uel potionem, uel ſorbitionem copioſiorem, aut cibum exhibeat, exiſtimãs eum à uenarum exinanitione factum debiliorem, ita impudentiſsimũ eſt, eũ quem uenarum exinanitio reddidit imbecilliorem, non cognoſcere, & abſtinentia torquere: quãquam ne hoc quidem peccatum periculo uacat: tamen ut ſuperiore leuius eſt, ita magis deridendum. Si enim alius quiſpiã ſiue medicus, ſiue plebeius, acceſſerit, notaueritq́; accidẽtia, deinde contra prioris medici inſtitutũ, cibũ, potionemq́; exhibeat, planè cõſtat hunc nonnihil auxilii attuliſſe: proinde prioris artificis inſtitutũ grauiſsimã ſubit calũniã, uideturq́; ſupueniẽs uel medicus uel plebeius ueluti mortuũ reſuſcitaſſe. Nos de hac re notas quaſdã ſcribemus, quibus ſingula diſcernãtur. 52
Atq; hæc quæ iam propoſui, ſimilia fere ſunt accidẽtibus, quæ uentriculum nonnũquam infeſtant. Etenim ſi uniuerſum corpus præter conſuetudinem diu quieuerit, non protinus robuſtius euadit. Quòd ſi longiori quoq; ſpatio torpuerit, deinde protinus labores aggrediatur, id quod effecerit, uile erit. Similiter de reliquis quoq; corporis partibus ſentiendum eſt. Neque enim pedes, neque aliæ corpo- 53

ris partes,recte ſua munera perficient, diſ-
ſuetudine laborẽ intercipiente,ſi aliquan-
do ſubitò laborare tentauerint. Similiter
& dentes & oculi & cæteræ quoq; partes
afficiẽtur. Nam & cubile præter cõſuetu-
dinẽ,aut molle,aut durũ moleſtũ eſt.quã-
quam quod ſub diuo præter conſuetudinẽ
54 ſtratũ eſt,corpus indurat. Porrò horum
omniũ ſatis fuerit exẽpla quædã perſtrin-
gere.Eſto ſanè quòd tibia cuiuſpiã ulcere
non omnino ſalubri laboret,qui neq; per-
difficilẽ , neq; facilem omnino curationẽ
admittat.Si prima protinus die , inter cu-
rationis uidelicet initia , ſic iaceat , ut ne-
quaquã crus eleuet , inflammatione haud
quaquam afficietur, multoq; citius bonæ
ualetudini reſtituetur, quàm ſi inter curan
dum errorẽ cõmittat. quòd ſi à die quin-
to,aut ſexto,uel ſerius etiam ſurrexerit,&
incedere conetur , magis dolebit quàm ſi
protinus ab initio in curatione peccaſſet.
ſi uerò ſubitò multumq; fatigetur,grauio-
ri cruciabitur dolore,quàm ſi per iam pro-
poſitos dies inter curãdũ fuiſſet fatigatus.
55 Itaq; ex his omnibus perfectũ licet colli-
gere teſtimoniũ, quòd omnis ſubita mu-
tatio, ſi modũ exceſſerit, noxam inducit.
56 Ventriculus autem grauiter læditur , ſi ei
poſt

postea quàm uehementer cōciderunt uenæ, protinus immodice quidpiam ingeratur. Sic reliquum quoq; corpus, si ex multa quiete subitò ad uehementē laborē deducitur: magis lædetur, quàm ubi ex pleniore cibo ad uenarū exinanitionē trāsmutatur. Illorū etiamnum corpora torpere necesse est, qui ex multa fatigatione, repentè ad ignauiā secordiamq; sese conuertunt. Proinde uentriculos ipsorū, haud ita multo cibo exercere oportet. alioqui & dolore & grauitate totū corpus uexabitur. Ce-
57
terū de immutatione uel ad hæc uel ad illa, longior fuit nobis sermo; quòd huiusmodi notitia, ad omne ferè negotiū utilis est, præsertim ad hoc nostrū propositum, quòd scilicet in acutis morbis à uenarum exinanitione ad sorbitionem transeuntes, permutationē à nostris præceptis aberrare nō permittāt. Etenim nō est exhibēda sorbitio donec maturus uideatur morbus, aut aliud signū, uel circa intestina, ut uacuatio aut iritatio, uel circa præcordia apparuerit. Vehemens uigilia, ut cruditatē inco-
58
ctionemq;, tum ciborum tum potionis efficit, sic in diuersam partem transmutatio, corpus resoluit, & uelut decoctum reddit, capitisq; grauitatem inducit.

LIBER TERTIVS.

DE VINO.



GITVR uinum dulce, & uinoſum, & album, & nigrum, atque aquã mulſam, & aquam, & oxymel, quantum ad acutos morbos pertinet, his ferè notis diſtinguere oportet. Dulce quidem uinum, non adeò, ut uinoſum, capiti grauitatem affert, & minus tentat mentem, nec ullum aliud tam facilè per inteſtina deſcendit. ſed iecur, & lienem in tumorem attollit: ac ne his quidem utile eſt, in quibus amara bilis exuperat. Nam & his ſitim excitat, & ſuperiorem inteſtinorum partem inflat. inferiori uerò inteſtino, quod ad flatus rationem attinet, non adeò infeſtum eſt. Sanè flatus, quem dulce uinum excitauit, non facilè permeat, ſed in præcordiis diu
5 commoratur. Vrinam omnino minus
hoc, quam album uinoſumque ciere po-
6 teſt. At nullum aliud efficacius promo-
uet ſputum, niſi quum ſitim induxerit,
tum enim minus quàm cætera ſputum euo
7 cat. ubi uerò non excitat ſitim, omni alio
8 efficacius ſcreatũ iuuat. Vini albi uinoſi,

tum laudes tum uituperationes,in dulcis
uini enarratione magna ex parte cõtinen-
tur. ipſum enim omni alio facilius ad ue-
ſicam tranſit,urinam ciet,magnumq́; ſem-
per auxilium in his morbis afferre ſolet.
quamuis enim,quod ad reliquos uſus per-
tinet,ab alio uino ſuperetur, quia tamen
per ueſicam purgat, magnifice liberat, ſi
exhibeatur ut oportet. Has igitur de uini
tum uſu,tum noxa coniecturas, licet per-
pulchræ ſint,maiores noſtri ignorauerũt.
Fuluum uinum, & nigrum auſterum eun- 9
dem uſum habere cenſerem in acutis mor-
bis, niſi capitis grauitatem inducerent, &
mentem attingerent, atque ſputi urinæq́;
exitum impedirent. Cæterum à uino albo,
aliiſque id genus non maximè abſtinen-
dum eſt, quum alui excrementa, & mol-
lia, & ramentoſa fuerint. Id uerò neminẽ 10
latere debet, quòd ſuperiores, & inferio-
res corporis partes, ut minus lædit uinum
dilutum, ita meracius inteſtinis magis
auxiliatur.

DE AQVA MVLSA.

AQua mulſa per totum morbi acuti
decurſum epota, his qui amara bile 11
abundant, & quibus tumida ſunt uiſcera,
minus conuenit. quanquam ipſis nõ adeò 12

ut uinum dulce, ſitim excitat: pulmonem
autem lenit, ſputū mediocriter educit, tuſ-
ſientibus prodeſt, quippe quæ abſtergen-
di facultatem obtinet, ſed plus uiſcoſita-
13 tis quàm opportunū ſit, ſputo īducit. Ciet
urinam efficaciter, niſi uiſcerum aliquod
14 obſtiterit. alui biliosa excrementa educit,
quæ interdum uitioſa ſunt, interdum ma-
gis quàm oportet, & exuperāt & ſpumāt.
Id uerò bilioſis maxime accidit, & his
15 quibus intumeſcunt uiſcera. Aqua mul-
ſa quò fuerit dilutior, eò efficaciorē euo-
candi ſputi uim obtinet, atque pulmonem
reddit leniorem. Quæ uerò minus diluta
eſt, alui ſpumoſa excremēta, & ſupra mo-
dum bilioſa, & calidiora magis quàm di-
lutior ducit, quamuis alias pręterea noxas
16 inferant huiuſmodi excrementa. Neque
enim præcordiorum ardorem extinguūt,
ſed excitant, efficiuntq; ut difficulter mor
bum ſuſtineat æger, & membra hincinde
deiiciat. inteſtina etiam, & anum ulcerāt.
17 Quibus uerò auxiliis ea curare opor-
18 teat, poſtea explicabimus. Igitur ſi in hu-
iuſmodi morbis, quis aqua mulſa, pro alia
potione, poſthabitis ſorbitionibus uta-
tur, is ut multa feliciſsimè cōſequetur, ita
fere nunquam ſua ſpe fruſtrabitur. Ergo
quibus

quibus danda uel inhibenda ſit, uel quas ob cauſas ab ea temperandũ ſit, magna ex parte iam dictũ eſt. Sed damnauerunt nõ- 19
nulli aquam mulſam, quòd bibentiũ uires frangat, maturamq; morté citet. Cui errori occaſionem dederunt hi, qui morté ſibi fame conſciuerunt. Sunt enim nõnulli qui aqua mulſa perinde ac ſi huiuſmodi quãdam uim habeat, utuntur. ſed id perpetuũ 20
non eſt. quippe per ſe potui data, niſi uentrem turbauerit, aquâ longe ualentior eſt. 21

Quinetiam uino albo, tenui, imbecil- 22
lo, non odoro, interdum ualentior, interdum imbecillior depreheditur. Etenim ui 23
ni mellisq; puri, ſi utriuſque uim conſyderaueris, magna eſt differentia. Nam ſi duplo plus uini puri quiſpiam biberit, quàm linxerit mellis, longe plus uirium à melle, modò uentrem non turbauerit, conſequetur, uel hoc argumento, quòd plus ſubinde ſtercoris deiiciet. Aqua mulſa à pti 24
ſanæ ſorbitione epota, uehementer replet, & inflat, uiſceraq; in præcordiis lædit. Ante ſorbitionem autem aſſumpta nõ ſolùm non adeò lędit, uerum etiam interdum magnifice prodeſt. Coctum mel, aſpi 25
cientibus quidem longe præſtantius crudo uidetur. eſt enim ſplédidũ, tenue, can-

didum & perſpicuũ, ſed quibus ab eo uiribus differat equidem nõ intelligo. Neq; enim, ſi mel bonum fuerit, crudo ſuauius eſt, & minus ab eo ſtercoris deſcẽdit, quãquàm neutro horum ad aquæ mulſæ probationem indigemus. Aliquando tamen cocto melle utendũ, maxime ſi uitioſum, impurum, nigrum, & haud iucundi odoris mel fuerit. ſiquidem plurima huiuſmodi turpitudinis uitia coctio tollit.

DE OXYMELITE.

26 Potionem ex oxymelle uocato, ſępenumero utilẽ inuenies in his morbis: ſiquidem ſputum educit, ſpiritumq; reddit
27 faciliorem. Atq; hæ ſunt eius occaſiones.
28 Quòd ſi ueheměter fuerit acidum, modũ in ſputis quæ non facile redduntur nõ ſeruabit. Etenim ſi retenta educeret, gutturq; ipſum leue & lubricũ redderet, pulmonẽ haud mediocriter iuuaret, utpote ꝙ molliendi uim obtineret: quæ ſi cõtingerent, inter maxima nimirũ eſſet auxilia numerandũ. ſed euenit interdũ, quũ uſqueadeò acutũ fuerit, ut non ſolùm nõ poſsit ſputũ educere, uerũ etiam uiſcoſius ipſum effi-
29 ciat atq; ſubmergat. Sanè illi potiſsimum ſic afficiũtur, qui alioqui ꝑnicioſo morbo

labor

laborantes, neq; tusses, neq; ea quæ intus continentur screare possunt. His itaq; sic 30
se habētibus, ægri uires perpendere, & si adhuc in spe fuerit, tum dare ipsum oportet, quū uerò dare decreueris, ut perquam tepidū sit studendum est, ac neq; affatim, sed paulatim exhibendū est. Vbi uerò nō adeo fuerit acidū, os & fauces humectat, sputum euocat, sitim cōpescit, præcordiis, uisceribus, cęterisq; id gen⁹ partibus amicum est. Etenim mellis, quas prædiximus, noxas prohibet. quippe quod in melle biliosum est, ita reprimitur. flatus præterea illud quidem discutit, & urinam ciet. sed intestini partem imam laxat, & ramenta elicit. Atqui in acutis morbis inutiliter nonnunquam exhibetur. præcipue uerò, quia non solùm flatum cohibet, uerum rursus ipsum reuerti cogit, uires frangit, & membrorum extremas partes infrigidat. Atq; hæ sunt, quas equidem nouerim, 36
aceti mulsi noxæ, haud indignæ quę literis prodantur. Huius quidem potionis 37
paulū noctu, ac ieiuno, ante uidelicet sorbitionē, recte propinatur: quanquàm nihil prohibet ipsam à sorbitione quoq; bibere, modò longum interueniat spatium.
Porrò qui in uictus ratione sola potio- 38

ne, posthabitis sorbitionibus, utuntur, iis ipsum non semper exhibere conuenit, uel ob hanc maxime causam, quòd intestina abradit, & exasperat, utpote tum nihil ster coris continentia, & quidem uacuis iam uenis, atq; fractis ab aqua mulsa uiribus.
39 Quòd si per uniuersum morbi decursum, ab hac potione, eaq́; multa, presidium aliquod expectaueris, paulũ aceti infunde, tantum uidelicet ut gustanti dũtaxat sensum moueat: sic enim citra noxam, debita
40 auxilia præstabit. Cæterũ acuta uis aceti, ut summatim dicam, his magis quibus amara, quàm quibus atra bilis exuperat, conferre solet. quippe amara ab ipso dissoluuntur, & agitantur, ac in pituitam degenerant. Atra uerò bilis in massam attollitur, & multiplicatur. Nam acetum a-
41 tram bilem parit. Mulieribus autem longe magis quàm uiris aduersatur, utpote quòd uterum dolore cruciat.

DE AQVA.

42 AQua in acutis morbis potui datur, nec aliud ab ea præsidium petendũ censeo. Neq; enim in peripneumonia tussim sedat. nec est alia potio, quæ minus sputum producat, si crebro quis eam biberit.

tit. Sanè si inter oxymel & aquã mulsam, aqua modice bibatur, sputũ euocat. siquidem potionum qualitatem, facta inundatione transmutat: alioqui neque sitim sedat, sed amarescit: bilem etiam parit in his qui suapte natura biliosi sunt. præcordiis infesta est. Quum uerò uacuo etiam dum uentriculo ingeritur, ut longe pessima, & summe biliosa redditur, ita uires maximè prosternit. Lienem & iecur, ubi inflammatio infestat, attollit, fluctuat, supernatat, tarde transmittitur, utpote frigida, & coctu difficilis, non ducit aluũ, nec ciet urinam: atque ex eo quoque uitiosa est, quòd stercoris suapte natura expers est. Quòd si refrigeratis aliquãdo pedibus quis eam biberit, ex iam ꝓpositis noxis omnibus illa multò grauius ipsum afficiet, ad quam fuerit ꝓcliuior. Vbi uerò in huiusmodi mor 43
bis timueris, ne uel caput uehementer grauetur, uel mens tentetur: tum uel aquam, uel uinum aquosum * & album, & haudquaquam odorum exhibere oportet: deinde paulum aquæ superbibere. Sic enim uini potentia non tam facile caput & mentem attinget. Sed in quibus affectibus, a- 44
qua potui danda sit, & quando plurima, & quando modica, ac ubi frigida, & ubi calida,

* Galen⁹ uidetur legisse κιρρόν, flauum.

calida, partim iam diximus, partim uerò
45 suo loco dicemus. Cæterũ de potionibus
quæ fiunt ex hordeo, herbis, uua, uel eius
corticibus, tritico, cneco, myrtis, malo pu-
nico, uel ex aliis quoq; rebus, quãdo ipsis
uti conueniat, seorsum à singulis morbis
dicemus, ad quem locum composita quo-
que medicamenta seruamus.

DE BALNEIS.

46 Lauacri usus in plerisq; morbis con-
fert, idq́; in aliis quidem morbis per-
petuũ est, in aliis minime. Sed raro utũtur
eo homines, quòd ipsum præparare nesci-
unt: quippe in paucis admodũ domibus,
uel instrumẽta uel ministri apti inueniun-
tur. & nisi exacta cura inter lauandum ad-
hibeatur, haud mediocre proueniet à la-
uacro malũ. Etenim tegmine indiget ęger
cui fumus non accedat, item aquæ abun-
dantia, & crebra lotione, sed quæ non sit
impetuosa, nisi res ipsa ita exigere uidea-
47 tur. Ac neq; abstergere eum oportet. quod
si abstersionis usus aliquando inciderit,
calorifico aliquo, eodemq́ue multiplici
smegmate, pro ipsius cõsuetudine, utendũ
est. Perfundere uerò celeriter multam a-
48 quam oportet. Via ad solium breuis sit, ut
& acc

& acceſſum, & exitum faciliorem præbe-
at. Is uero qui eluitur decentem compoſi- 49
tumq; gerat corporis habitum, atq; tace- 50
at, ac ne ipſe quidem quicquàm faciat, ſed
alii perfundant & abſtergant. deinde* tem 51 *A-
peraturas multas præparent, & celeriter quæ mi-
perfuſiones ipſas expediant. Spongia pro 52 ſturas
ſtrigili utantur, uehementer exiccatum 53
non ungant. Caput adhibita ſpongia ter- 54
gendum, & quantum maxime fieri poteſt,
ſiccandum eſt. Extremę membrorum par- 55
tes, & caput, ac reliquum quoque corpus, 56
à frigoris iniuria tueri debet. Neque laua- 57
cro cõmittendus eſt is, qui nuper uel ſorbi
tionem uel potionem ſumpſit. ac ne à laua 58
cro quidẽ ilico uel ſorbere, uel bibere cõ-
uenit. Magnopere tamen laboranti indul- 59
gendum eſt, ſi quũ bona adhuc eſſet uale-
tudine, uel amauit lauacrũ, uel elui cõſue-
uit. Quippe qui maiore lauacri deſyderio
tenẽtur, ii maius inde præſidiũ ferũt, adeo
quòd læduntur quoq;, niſi lauentur. Pe- 60
ripneumonię magis quàm ardoribus auxi
liatur lauacrum. nanq; lateris, pectoris, &
dorſi dolorẽ mitigat. ſputum maturat, &
educit. ſpiritũ facilem reddit, fatigationẽ
lenit, articulos, & ambientem cutem emol
lit, urinam ciet, capitis grauitatẽ ſoluit, na
res hu

res humectat. Tanta ex lauacro proueni-
unt commoda, quibus nimirum omnibus
indigemus. Quod si in apparatu, uel in re
unica uel pluribus quoq; *peccatum inci-
derit, tantum abest ut prosit, ut etiam no-
ceat: nam quicquid à ministris improbe
præparatũ est, id citra noxam esse nõ po-
61 test. Qui per morbos citatiore sunt aluo
quàm fuerit opportunũ, aut quibus supra
modum aluus astricta, non ducitur, ii laua
cro cõmitti non debent. ac neque ii, qui-
bus imbecillæ sunt uires, aut qui fastidio,
aut uomitione affecti sunt, aut qui biliosa
ructant, aut quibus sanguis è naribus pro-
fluit nisi minus, q̃ occasio expetit, efflu-
at. Nec ignorare debes occasiones. Ete-
nim si occasionis respectu, exiguus est flu
or, abluẽdus est æger, siue uniuersum cor-
pus, siue caput duntaxat, ita iuuari uidea-
tur. Igitur si singula commodè parata
sunt, si æger citra noxam lauacrum subire
62 potest: quotidie lauandus est. Quòd si
præterea lauacro delectatur, eum si * bis
quoq; laueris, nõ lędes. Satius uerò est eos
lauacro uti, qui integram ptisanam, quàm
qui solũ cremorem eius assumunt: & si his
quoque nonnunquam usui est. Qui uerò
potu duntaxat utuntur, minime lauacrum
sube

*ἐνδεάτις. id est, defectus.

*τῆς ἡμέρης, id est, quotidie.

ſubeant, quanquam horum nonnulli ab ipſo arcendi interdum non ſunt. Coniicere itaq; oportet ex his quæ ſupra demonſtrauimus, quibus lauacrum, & in quo uictus genere, auxiliari poſsit necne: ſi enim quidpiam eorum quæ ad lauacri bonitatem pertinent, deeſt, quamuis nõnihil pręſidii à lauacro ſperaueris, lauari tamen non oportet. Quòd ſi nihil horum deeſt, uideaturq; ex notis quibuſdam uſui fore, tum lauari conuenit.

LIBER QVARTVS.

DE ARDORE.

VENAE æſtiuo tempore exic- 1
catæ auellunt ad ſeſe acrem bi
lioſamq; ſaniē. Vnde & uehe- 2
mens febris oritur, & corpus fa
tigatione oppreſſum laborat & dolet. Ac- 3
cidit autem magna ex parte, & ob longa
itinera, & diutinam ſitim, quum exiccatæ
uenæ, acres, calidasq; fluxiones alliciunt.
quocirca lingua fit ſcabra, arida, & pręni- 4
gra: uenter torminibus cruciatur: alui ſedimina liquida ſunt & pallida, uehemens ſitis cruciat, ſomnus nequaquam accedit,

5 dit, interdum mens quoq; turbatur. Huic
& aquæ, & aquæ mulſæ coctæ, quan-
6 tum uoluerit, potui dabis. Quòd ſi a-
marulentum fuerit os, tum & uomere, &
aluum eluere conuenit. ſi uerò ne ab his
quidem ſoluitur, ex aſinæ cocto lacte pur
7 gato. Nihil uel ſalſum, uel acre exhiben-
8 dum eſt: non enim deſcendet. Sorbitio-
nes, donec morbus decretorios dies præ-
9 terierit, non dato. Quumq́; ſanguis è na-
ribus fluxerit, ſudoresq́; decretorii & le-
gitimi fuerint atq; in urina alba quædam
& craſſa & leuia ſubſederint, aut ſi alicu-
bi apparuerit abſceſſus, ſoluitur affectio.
10 Quæ ſi nullo horum apparente ſoluta fue
rit, uel iterum reuertetur, uel coxam, aut
11 crura dolor infeſtabit, & craſſa quædam
expuet, ſi uidelicet bonæ ualetudini reſti-
tui debeat.

12 Ardoris aliud genus, aluus ſoluta eſt,
uehemens ſitis, lingua ſcabra, arida,
ſalſa, urinę defectꝰ, uigiliæ, extremę mem
13 brorũ partes frigidæ. Huiuſmodi ardor
non * finitur, niſi aut ex naribus fluat ſan-
guis, aut ceruici abſceſſus, aut cruribꝰ do-
lor ſupueniat, atq; craſſa ſputa qs excreet,
id qđ aſtricta aluo ſolet accidere, aut co-
xæ dolor aut genitaliũ liuor appareat, aut
teſtic

*κρίνεται, id eſt, iudicatur.

testiculus intendatur:atque hoc modo so- 14
lutam aluum ardor comitatur, Sorbitio- 15
nes attractiuas dato. In acutis affectibus 16
sanguinem detrahe, si uehemens uidea-
tur morbus, & infirmus ętate floreat, abun
detq́; uiribus. Igitur si angina fuerit, si- 17
ue alius quispiã morbus, ut costalis, eclig-
mate etiamnũ purgato. Quòd si ob multi
sanguinis missionem, uires prostratum iri
timueris, tertio quoque die clysterem al-
uo iniice, donec in tuto fuerit æger, & fa-
me indigeat. Inflammata præcordia se- 18
ptum transuersum non ab inclusis flatibus
intentum, uel ob flatuum quoq; præsen-
tiam, arida suspiria, quibus pus non subie
rit, sed ubi flatuũ clausura huiusmodi af-
fectus fiunt, potissimũ uero iecoris dolo-
res, lienis grauitas, ac reliquæ inflamma-
tiones: itẽ septi transuersi dolores, & mor-
borum*conuersiones solui non possunt, si
protinus ab initio medicamentis curatio-
nem aggrediaris. Nã pręcipuũ in his pro-
positum est in primis sanguinem detrahe
re, deinde clysterem exhibere, idq́; si ma-
gnus uehemẽsq́; fuerit morbus. Si uero nõ
ita uehemens fuerit, medicamẽto curetur,
quod tutò, moderateq́;, misso prius sangui
ne, adhibẽdũ est. Qui statim inter morbi 19

*συστροφαί. collectiones interpretatur Galenus

initia inflãmationes medicamento ſolue-
re conantur, ii à diſtenta, inflãmataq́; par-
te nihil auferũt. affectus uero, utpote cru-
dus, nõ remittitur, ac partes ſanę & morbo
reſiſtẽtes, colliqueſcunt: quocirca morbus
imbecillum iam corpus uincens, curationi
20 non obedit. Si repente quis obmutue-
rit, is uenarum concluſione moleſtatur. ſi
ſano homini ſine occaſione, ac ſine alia ue
21 hementi cauſa, acciderit, dextri brachii
internam uenam ſecare oportet, & pro ha
bitus ætatisq́; ratione, ſanguinẽ detrahe-
re, conſyderando exuperantiam atq; de-
22 fectum. Porrò ſic affectis, huiuſcemodi
quoque caſus eueniunt, faciei rubor, ocu-
lorum conſtantia, manuum* incõtinentia,
dentiũ ſtridor, pulſus, maxillarum contra-
ctio, extremarũ partium frigus, flatuum in
23 uenis concluſio. Superueniente ab atra
bile dolore, acriq́; ruente fluxione, internę
partes mordicus dolẽt, uenæ uellicatę ari-
dioresq́; factæ tenduntur, & inflammatæ
alliciunt ad ſeſe ea quę affluunt. quam ob
rem corrupto ſanguine, ita ut ſpiritus in
ipſo nequeant naturales meatus pertrãſ-
ire, frigora ob plenitudinem eueniũt: item
obtenebrationes, taciturnitas, capitis
grauitas, neruorum diſtentiones, idq́ue
præci

* διασά-σιες. i. porrectiões.

præcipue si iam uel ad cor, uel iecur uel ue-
nã peruenerit. Hinc igitur comitiales mor
bi, & attoniti proueniunt, si in continen-
tes sedes inciderint fluxiones, spirituq́; e-
gredi nequeunte, arescant. Quapropter 24
statim ab initio, adhibito prius fomento,
sanguinem detrahere oportet, dum adhuc
omnia infestantia, tum flatus, tum flu-
xiones suspenduntur, sic enim facilius uin
cuntur remediis. Deinde reficere, atque 25
habita iudicationis ratione, nisi sursum
ferantur, medicamentis purgare. Quòd si
aluus astricta fuerit, clysterem iniice, & co
ctum asinæ lac exhibe, idq́ue plus quàm
sedecies, si uires tolerare possint.

DE ANGINA.

ANgina fit, quũ hyeme aut uere, mul- 26
ta eademq́ue uiscosa fluxio ad iugu-
lares uenas descẽderit, quæ quidem utpo-
te amplæ, plurimum ad sese spiritum con-
uellunt. Quum itaq; fluxio quæ frigida,
uiscosaq́; est, & spiritus, & sanguinis mea-
tus obstruxerit, quicquid sanguinis pro-
ximum est, figit, ipsum uero immobilem,
cõstantemq́; efficit. quippe quẽ suapte na-
tura refrigerãdi, obstruendiq́; facultatem
obtinet. Proinde suffocantur ægri, lingua

liuente, rotunda, & incurua, propter ſubditas ei uenas. Præciſa enim uua, quam nonnulli columellam uocant, utrinq; craſſæ apparẽt uenę, quę ubi impletę ſunt, linguę, quę ob ſiccitatem rara, fiſtuloſaq́; eſt, innituntur. Hæc deinde ui coacta, ex uenis humorem ſuſcipit. quam ob rem latitudo in rotunditatem, coloris uenuſtas in liuorem, mollities in duritiem permutatur, ut quę facilè antea flectebatur, curuari nequeat. Itaque celeriter iugulat, niſi protinus iuueris, ſanguinem ex brachiis detrahẽdo, deinde uenas ſub lingua ſecare, medicamento quod trahendi uim habeat purgare, calida gargariſmata exhibere, caput radere, eidemq́; atq; ceruici ceratũ imponere, lanis inuoluere, molli ſpongia ex aqua calida expreſſa fouere, aquam egelidam, & aquam mulſam, ſed ne hanc quidẽ frigidã, potui dare, iuſculũ quoq; tum exhibere oportet, quum iudicato iam morbo, in tuto fuerit æger.

ALIVD ANGINAE GENVS.

27 QVum per æſtatem, aut autumnum, calida fluxio à capite deſtillauerit, eaq́; nitri qualitatem imitetur, fueritq́ue, ut ab anni tempore, acris & calida: hæc quum

quum huiuſmodi fuerit, mordet, ulcerat,
ſpiritu implet, orthopnœam, & ariditatem
uehementem inducit. Partes autẽ, quas 28
uiſus conſequi poteſt, tenues apparent.
tendines ceruicis poſteriores adeo inten-
duntur, ut rigidi uideantur. uox abrũpi- 29
tur, ſpiritus paruus eſt, ſpiratio denſa uio-
lentaq́;. Atq; ſic affectis arteria ulcera- 30
tur, pulmo ardet. Nanque externum aẽ-
rem attrahere non poſſunt. Itaque niſi ſua
ſponte in exteriores partes huiuſmodi af-
fectus efferatur, grauiſsimum ineuitabi-
leq́; periculum comminatur. idq́; propter
anni tempus, & quod à calidis acribuſq́ue
cõſtat humoribus. Si febris aliquem in- 31
uadit, uetere nõdum deiecto ſtercore, aut
nuper accepto cibo, iis, ſiue lateris dolor
infeſtet, ſiue non, quieti permittendus eſt,
donec ad imum uẽtrem cibus primum de-
ſcẽderit, ac ſubinde acetũ mulſum in potu
ſumat. Quum uero grauitas ad lumbos 32
uſq; deſcenderit, tum uel clyſterem exhi-
bere, uel medicamento purgare conuenit.
mox à purgatione uictum inſtituere, atq;
in primis ſorbitionem, deinde aquã mul-
ſam, poſtremò cibos, piſces uidelicet eli-
xos exhibere, & uinum dilutum idq́; exi-
guum, atque noctu duntaxat: interdiu ue-

ro aquam mulſam dilutam. Si flatus fœtidi fuerint, balanus cõuenit aut clyſter, niſi acetum mulſum epotum obſtiterit, donec ad imum uentrē deſcēderit: tum enim aluum ducere, iniecto clyſtere nihil prohi
33 bet. Vbi ſoluta aluo, ardor acciderit, uideaturq; medicamētum poſſe conferre, id intra tres dies exhibendum nôn eſt, ſed
34 quarto. Quum à uacuatione ſorbitiones exhibere uolueris, obſerua febrium acceſſiones, ut neq; quum adſunt neq; quũ uenturæ ſunt, eas ingeras, ſed quum iam finitę ſunt, aut conquieuerunt, & quum maxime ab initio diſtare uidentur. Cæterum pedibus frigore affectis, neque ſorbitionem neq; aliud quicquam dato, ſed maximum te pręſidiũ attuliſſe putato, ſi donec percalfacti fuerint expectaueris, deinde ſic utile quidpiã exhibueris: ſiquidē refrigerati pedes magna ex parte iam affuturã febris acceſsionē ſignificant. Quo tempore ſi cibũ ingeſſeris, omnia maxime errore turbabis, ut qui nõ parum auxeris morbũ. At quũ febris quieuerit, tum ecõtrario pedes reliquo corpore fiũt calidiores. Aucta enim febris pedes ipſos refrigerat, atq; ex thorace incenſa, mittit flammam in caput. Igitur uniuerſo calore confertim ſuperio-
res

-res partes petente, euaporanteq́; in caput, nihil mirum eſt, ſi pedes infrigidantur. quippe qui ſuapte natura ut carnis expertes ſunt, ita neruis abundant, ac non parum diſtant à calidis ſedibus. itaque collecto in pectore calore ipſi refrigerantur. Sic haud abſimili ratione, uicta, quieſcenteq́; febre calor in pedes deſcendit, atque hoc tempore, & caput, & pectus refrigerantur, ac tum cibus dandus. Cuius rei cauſam ſic accipe. Nam occupante pedes frigore, uentriculum calidum, & faſtidio affectum, atq; præcordia intenta eſſe neceſſe eſt. quinetiam corpus ob internam turbationem iactatur, mens ſuſpēditur, dolores infeſtant, æger diſtrahitur, uomere affectat, quumq́; uitioſa quędam uomuerit, dolore affligitur. Ergo quum in pedes calor deſcēderit, niſi ſudare uideatur, emiſſo prius lotio, ſorbitionem dare oportet, alioqui pernicioſam. Quibus per febres al 35
uus aſſidue ſoluta eſt, iis utilius eſt pedes calfacere, ceromata adhibere, & faſciis inuoluere: nec unquã cõmitte ut reliquo corpore ipſi ſint frigidiores. ubi uero calent, calorificis opus nõ eſt, ſed ne infrigeſcant cauendũ eſt. deinde uel aqua frigida, uel aqua mulſa, eaq́; perexigua, potui danda

36 est. Febricitãtes nõ pauci, quibus aluus liquida est, & mẽs turbata, flocos decerpere, nares fodere, interrogati paulum respondere, neq; sua sponte quicquã aptum dicere solent. Hæc, ut opinor, ad atram bilem pertinent. quibus in hunc modũ se habentibus, si ob aluum solutam homo consumi uidetur, sorbitiones, mea quidẽ sententia frigidiores, crassioresq;, potiones uerò reprimẽtes, & magis uinosæ, aut astringẽtes
37 exhibẽdę sunt. Quibus inter febriũ initia, uertigines & capitis pulsationes accidunt, fuerintq; urinæ tenues, iis febris impetus apud iudicationem expectãdus est. quòd si tum delirant, nihil mirandum est.
38 Quibus incipiẽte morbo urina crassa est, aut ueluti nubeculę in ipsa suspenduntur, eos purgare cõuenit, si nihil aliud obstiterit. Qui uero tenues urinas ab initio mingũt, medicamento purgandi non sunt, sed clysterẽ exhibẽdo, eos curare in hunc mo-
39 dũ oportet. corpus quieti permittere, mox & ungere, & æqualiter cõponere, aquam mulsam dilutã potui dare, ad uesperã ptisanę cremorẽ sorbere, aluũ ab initio clystere ducere. Sed medicamẽtum eis dandum non est. si enim aluum citaueris, non maturabitur urina, sed febris diu sine sudore

perma

permanebit,& poſt lõgum quoq; ſpatium * Iudica-
*finietur.Neq; ſorbitiones per tumultum, bit. 40
quum ſcilicet proxima fuerit iudicatio,da
re, ſed donec inclinetur, & in melius ten-
dat febris,eas ſeruare oportet.Omniũ præ
terea febrium iudicationes conſyderandæ
ſunt:nam eo tempore,ut iam didiciſti, ſor
bitiones ſunt auferendæ.Si longæ fuerint 41
huiuſmodi febres, ægri abſceſſus habere
ſolent, idq́; ſi aurium imæ partes,ceruixq́;
frigeſcat.Si uero nõ afficiãtur frigore,alia
erit febriũ mutatio.nam & ſanguis fluet è
naribus,& uentres eorũ turbabũtur.Qui- 42
bus moleſtę febres ſunt, & præcordia ten-
duntur & in cubili cõtinere in eodẽ ſe po-
ſitu nequeunt, atq; extremæ membrorum
partes infrigidantur, ii multa omnino di-
ligentia, & accurata obſeruatione indi-
gent. atque ſic educandi ſunt,ut nihil ali-
ud quàm acetum mulſum eis exhibeatur.
ſorbitiones nequaquam offeras, donec
morbus finiatur & maturetur urina.in ob- 43
ſcuro cubiculo decumbere debent,& ſtra-
to perquàm molli : diu eundem poſitum
tolerare, & haudquaquam ſeſe iactare,
quo præſidio nullum aliud ſalubrius eſt.
Deinde præcordia ex lini ſemine linere, 44
cauendo ne dum illinuntur,frigus horro-

rem citet. ipſum uerò tepidum eſſe debet,
quantum maxime poteſt, Coquitur autem
45 ex aqua & oleo. Quid autem futurum
ſit, ex lotio cõiicere oportet. ut enim craſ-
ſum pallidumq́ue melius eſt, ita peius eſt
46 id quod uel candicat uel nigrum eſt. Va-
rium uero lotium, diuturniorem fore mor
bum ſignificat, cuius inæqualitatem, mo-
dò ad peius, modo ad melius conuerti ne-
47 ceſſe eſt. Incõſtãtes febres ſinere oportet,
donec in ordinẽ redigantur. deinde & ui-
ctus rationẽ & aptam curationem eis op-
ponere, non neglecta naturę contẽplatio-
48 ne. At quia uariæ ſunt ægrotorum facies,
49 animaduertat medicus ne ullę ipſum occa
ſiones lateãt, ſiue ad cõſyderationem illæ
pertineãt, ſiue ad numerum uel parem uel
50 imparem referantur. Maxime uero impa-
res dies metuẽdi ſunt, qui uidelicet ægros
in diuerſas affectiones diſtrahere conſue-
51 uerunt. obſeruandus itaq; primus dies eſt
quo debilior factus eſt laborãs cõſyderan
do initiũ, ex quo & unde acciderit. id e-
nim pręcipuũ eſſe putatur quod ſcire opor
teat. Itaq; interrogãdo ipſum, hæc omnia
perpendere debes: in primis quidem capi-
tis affectionem, an dolore, grauitateq; in-
feſtetur, deinde præcordia & latera: hæc
qui

quidé, nullóne dolore cruciētur, illa uerò num laborent, aut suspendantur, aut intorqueantur, aut satietate grauentur, an latus doleat, an simul cum dolore tussis, aut tormina, uel uentris dolor infestet. Quòd si horum quidpiam acciderit, potissimum in præcordiis, aluus soluenda clysteribus est, & aqua mulsa eaque cocta calidaque potui detur. Præterea discere oportet, an exurgentem animus deficiat, an spiritus facile feratur. Ad hęc alui quoq; sedimina inspicere, an nigro admodum colore infecta sint, an syncera sint, qualia scilicet sanus deiicere consueuerat. an febris tertio quoque die magis iritetur, quippe in his morbis accuratè consyderādę sunt huiusmodi tertianæ afflictiones. Quinetiā alia quędā aspicere oportet. Nam si dies quartus, in aliquo iā dictorū, tertio fuerit similis, scire licet infirmū in periculo uersari. Sunt præterea alia signa, ut nigra excremēta, quę mortem: si uero per omnes dies qualia in sanitate deiiciebātur, appareāt, bonā ualetudinē denūtiāt. Si dū glans sup ponitur aluus non obedit, sed spiritus facile fertur: si ægrū, siue erectus in sede, siue in ipso quoq; cubili iaceat, animus deficit: hęc siue mari siue fœminę acciderint, 52

futu

53 futurum deliriũ expectato. Manus etiam
considerandæ sunt, quæ si tremunt, san-
54 guis ex naribus fluxurus est. Deinde nares
quoque aspiciantur. nam si æqualiter per
utrasque multus spiritus trahitur, neruo-
rum ferè distẽtio superuenire solet. Id ubi
acciderit, in propinquo mortem esse testa
tur, quam prædixisse perpulchrum fuerit.
55 Si hyemali febricula laboranti, lingua sca
bra fit, animusq; deficit: quanquam quie-
tior febris uidetur, nihilominus tamen
imperari debet inedia, ab aqua quoque,
& aqua mulsa, atque cremore arcendus
est. febribus enim quibus hęc accedunt si-
gna, haudquaquam fidendum est, utpo-
te à quibus mortis periculum pendet. His
igitur accurata perpensione consideratis,
in hunc modum, si placet, præsagire po-
56 teris. Quum uero terrificum quidpiam
febribus superuenerit, fuerintque ipsæ
quintanæ, & aluus derepente liquida
quædam excernit, acceditque animi de-
fectio & taciturnitas, & neruorum disten-
tio, & singultus, ab his angor euenire so-
let, ac sudor circa mustacem, frontem, &
57 ceruicem ab occipitio. Qui sic affecti
sunt, paulò post inflati morientur. Qui-
bus per febres circa crura orta tubercu-
la,

la, tractu temporis non maturantur, perdu rante etiamnum febre si faucibus iampridem extenuatis suffocatio accesserit, neque extincta fuerint tubercula, iis solet sanguis è naribus fluere: qui si plurimus eruperit, morbum soluit: si uerò non ita multus, longum fore morbum significat: & quò minus fluxerit eò peior, & diuturnior erit ægritudo. Vbi uerò cætera quidem securissima fuerint, pedum dolores expectandi sunt. Pede itaque sic affecto, si assidue dolens inflammetur neque leuetur dolor, paulò post ad ceruicem, iugulum, humerum, pectus, articulum (nam & in hoc tubercula expectari debent) dolores peruenient. Quibus extinctis, si manus ulcerãtur, aut tremiscũt, neruorũ distentio & deliriũ superuenit, in superciliis pustulæ, ruboresq; nascuntur, gena altera ad alteram ex latere germinat, dura inflammatio infestat. oculus uehementer tumet, deliriũ ualde intẽditur. Atqui delirii signa, noctu magis, quàm interdiu notãtur. Atq; huiuscemodi signorum plura, diebus imparibus magis quàm paribus deprehẽduntur, quanquam utrolibet eueniant numero perniciosa censenda sunt. Hos si à principio medicamẽtis purgare decreueris, ante 58

diem

diem quintum id facere oportet, si uidelicet murmurauerint intestina, nullo uerò percepto murmure, à medicamentis abstinendum est. Quòd si murmurante uentre, excrementa quoq; fuerint biliosa, exhibito Scãmonio modice purga. deinde, quod ad reliquam curationem pertinet, potiones, sorbitionesq; exiguæ offerendæ sunt, quò melius ualeat infirmus, nisi fortasse
59 diem decimũquartum excesserit. Quum febricitans aliquis, die decimoquarto obmutuerit, is non solet celeriter aut solui, aut à morbo liberari: quum uerò eadẽ die
60 apparuerit, longius procedit. Si febricitãti quarto die lingua conturbata quędã disserit, & aluus excernit biliosa, & liquida, is fere delirabit. Sed accurata obseruatione cõsiderãda sunt ea quæ accidũt tum æstate, tum autumno, idque in morbis acutis.
61 Nam si sanguis subitò destillauerit, robur & uenarum inflammationem declarat, & quòd postero die urinæ tenues apparebunt: quòd si tum uigeat ætas, fueritq; corpus ob exercitationes bene corporatum, aut melancholicum, aut manus ob potationem tremulæ, haud absurdum fuerit, aut delirium, aut neruorum distentionem
62 præsagire. Id uerò salubrius est si paribus

eue

euenìat diebus, quippe in decretoriis perniciosum est, nisi multus sanguis confertim aut per nares, aut per anum effusus, exuperantem plenitudinem finiat, aut abscessum, uel dolores, præcordiorũ, testiculorũ, aut crurum inducat. Quibus solutis, redduntur sputa, fluuntq́; urinæ crassæ, leues, candidæ. Si febriẽti singultus accidit, 63
laser, daucum tritum ex aceto mulso potui detur, item galbanum ex melle, & cuminum in ecligmate. mox ab iis ptisanæ cremorem sorbeat. quanquam nulla salus per huiusmodi affectum speranda est, nisi uel sudores decretorii, aut somni æquales superuenerint, aut urinæ crassæ, acresq́; effluxerint, aut apparuerit abscessus. Ex cocal- 64
lo, id est, fructu pini, et myrrha ecligma eis exhibendum est, sed accepti mulsi perquam exiguum. quòd si admodum siti cru 65
cientur, aquam hordei bibant.

DE PERIPNEVMONICIS & pleuriticis.

IN peripneumonia & pleuritide, quàm 66
acuta sit febris, cõsiderandum est. item ambóne latera, an unum duntaxat dolor infestet, an ægre spiritus reddatur, an tussis cruciet, an sputum educatur, sitq́ue uel

rufum

rufum uel liuidum uel tenue & ſpumoſum & floridum, aut ſi alias quaſdam differentias præter iam declaratas habuerit, eas ſic

67 diducere oportet. Si dolor ad ſuperiores partes extenditur, ut iugulũ, mamillã, brachium, internã* brachii uenã ſecare oportet, ab eo uidelicet latere quod dolore fuerit affectum, & pro corporis habitu, & an-

*cubiti, dicit Galenus

68 ni tempore, & ætate, & colore, ſanguinem detrahere, utq́ue copioſior ſit purgatio, ſi dolor fuerit acutus, ad animi defectionem

69 ducere. Poſtea clyſterem exhibere. Si uerò ſub pectore pleuriticum dolor uehementer cruciat, uenter purgandus eſt. atq; inter purgandum quidem nihil, à purgatione uerò acetum mulſum dare conuenit. Porrò die quarto purgandum: ſed tribus ab initio diebus clyſteres exhibere, quibus ſi dolor leuatus non eſt, tum demum

70 purgare oportet. Caute tamen obſeruandum eſt dum febris ſoluatur, ſeptimusq́ue dies prætereat: deinde ſi æger in tuto eſſe uidetur, tum exiguum, tenuemq́; cremorem, eumq́ue melle conditum in primis exhibere. deinde ſi facilè reducitur, & bene ſpirat, & latera dolore uacant, paula-

71 tim craſsiorem, ac liberalius, nempe eadẽ die bis, dare nõ erit alienũ. Si uerò nõ facile

cile liberari posse uideatur, tum minore potione, exigua sorbitione, & cremore tenui utatur, idq́; semel duntaxat, ea uidelicet hora, qua melius degit: hãc uerò ex urinis deprehendes. Sorbitio enim in huiusmodi morbis exhibẽda non est, donec & urinæ & sputa maturescere uideantur. Si medicamento quis purgatus creberrime deiicit, eũ parcius, ac magis tenuiter alere oportet. is enim obstãte uacuatione, neq; dormire, neq; concoquere, ac neq; iudicationes sustinere potest, sed postquã cruditas colliquata fuerit, & quæ restiterũt abiecta, tum nihil prohibebit pleniorẽ ei cibum exhibere. At uerò scire licet sputum 72
tum esse maturum, quum puri simile uidetur: urina uerò, quum id quod residet, sicut eruum subrubrum est. Cæterum nihil prohibet ad alios quoq; laterum dolores, tepida fomenta, & ceromata adhibere, atque crura, & lumbos, calido ungere, & pinguedine illinere: præcordiis uerò ad mamillas usque ex lini semine cataplasma imponere. Quum ad uigorem iam peruenit peripneumonia, nisi expurgetur, in nullo auxilio sperandum est, quippe quę mala est, præsertim si difficulter spirat æger, fuerintq́ue urinæ tenues & acres, atq; su-

m dor

dores in capite,ceruiceq; oriantur.Eiusmodi enim sudores mali sunt ob uincentis morbi æstum, impetum, ac uiolentiam, nisi urina multa & crassa eruperit, & sputa*matura procedant. utrumlibet enim si sua sponte superuenerit, soluendi morbi uim obtinet.

*cõcocta

73 ECligma ad peripneumoniã Galbanũ & coccalus, id est pinearum nucleus, ex melle attico. Abrotonũ ex aceto mulso. Item pleuritico Piper, Veratrũ nigrum coquito, & in principio quum infestat iam dolor dato. Prodest etiã Panace ex aceto mulso cocta, deinde percolata, & potui data. Similiter & hepaticis & renum doloribus, ac ubi aluus citanda est, aut urina,
74 ex uino & melle. Quæ ubi ad uentrẽ exhibentur, magna ipsorum quantitas ex aqua mulsa diluta in potu sumatur. Sic etiam sedabis dysenteriam, abscessum, aliosque quosdã tumores, nisi uel in febres uel sudores, apparẽtibus urinis crasis, albis, dilutis, uel in tertianas uel uarices transierit, aut in testiculos, aut crura, aut coxã, dolor tanquã ad firmam stabilemq; sedẽ permu-
75 tetur. Si ante septimũ diem febricitãti superueniat morbus regius simul cum horrore, soluitur febris. si uerò sine horrore,

atq;

atq; extra occasiones siue extra tẽpora acciderit, perniciẽ denũtiat. Lumborũ rigo- 76
res, ac ob atram bilem factæ spirituum interceptiones detracto sanguine soluũtur.
Sed quum per tendines uehementer in an- 77
teriorem partem retrahuntur, ac ceruix, & facies sudauerit, utpote uellicatis, aridisq; ob laborem tendinibus, caudæq; uinculis, quæ uidelicet crassiora quum sint, spinam cõtinent, ubi maxima uincula exorta, ad pedes usq; tendunt, ibiq; finiũtur. Qui sic afficitur, si neque febris neq; somnus superuenerit, sed sequatur urina coctionem significans, atq; sudores decretorii, is uinum Creticum uinosum epotet, edat polentam coctam, cerato ungatur illinaturq; crura in scapha, prius calida aqua perfusa, ad pedes usq; inuoluat. item brachia usq; ad digitos. Spinam etiã & lumbos à ceruice incipiendo ad coxas, mollem pellem saliua subigens, ut exteriores quoq; partes contineat. Relictis deinde fomentis, uter aqua calida plenus ac linteo tectus adhibeatur. Aluus non admodum soluenda est: satis enim fuerit glandem supponere, ubi scilicet iampridem fuerit astricta. Quòd si nihil in melius proficere uideatur τὸ μόδιον, Modi, radicem tritam

ex uino odorato,& Daucum, mane ieiu-
no,ante fomenta,potui dato, idq́ue cele-
riter. deinde polentam coctam, tepidam,
liberaliter comedat, bibatq; uinum tempe
ratum quum uoluerit,atq; sic fortasse me-
78 lius ualebit. Sin minus, ad præsagiũ refu-
gere oportet. * Morbi omnes soluuntur,
aut per os,aut aluum,aut uesicam, aut ali-
quam aliam huiusmodi particulam. Sudo
ris uerò species omnibus communis est.
79 Veratro purgare oportet eos, quibus à ca-
80 pite destillatio fertur. Quibus uerò uel ab-
scessus,uel uenæ ruptura, uel intemperan-
tia,uel alia aliqua uehemens causa, sup-
puratiouem fecit, iis ueratrum haudqua-
quam dandum est. quippe quod tum nihil
præsidii affert. etenim si ob aliã fortè cau-
sam,æger quidpiã passurus est,id omnino
ad Veratrum referetur. Si uerò corpus re-
soluitur, aut caput dolet, aut obstructæ
sunt aures,aut nares, aut sputum non red-
ditur,aut genua grauitate infestantur, aut
corpus præter consuetudinem intumescit:
quicquid eiusmodi acciderit,* siue ob po-
tationẽ,uenerem,mœrorẽ,curas, siue uigi
lias,quodcunq; horum causæ rationẽ ha-
buerit,ad ipsum curationẽ dirigere opor-
81 tet. Dolores qui ab itinere proueniunt,uel
in

*Galen' addít, aut ꝑ uterũ, aut ꝑ sanguinis é narí-bus eruptio-nes.

*μῆθ' ne-que

in lateribus, aut dorſo, aut lumbis, aut coxis, ac ſi aliquis inter ſpirandum dolet, aliqua habita occaſione. nam ſæpenumero lumborum, coxarumq; dolores ex crapula & cibis inflantibus, prouenire ſolent: itaq; qui huiuſmodi accidentibus afficiuntur, urinam difficulter reddunt. Horum omniũ cauſa eſt iter, ac præterea deſtillationum quoque & raucedinis. Sed quæ ob uictus 82
rationem eueniunt, horum multa unuſquiſque, ut in uictu à conſuetudine maxime aberrauit, ita apertiſsime declarabit. Etenim qui prandere non conſueuerunt, ſi pranſi fuerint, uenter eorum intumeſcit, ſomnolenti redduntur & pleni. Quòd ſi preterea cœnauerint, uenter ipſis turbabitur. quibus utile fuerit à balneo dormire, expergefactis uerò circuitione lenta illa quidem, ſed crebra, inambulare: deinde deiectis alui oneribus, paulum uini meraci aſſumere. Si uerò aluus non fuerit ſoluta, calido unguento corpus ungere debẽt: mox uinum dilutum, album, aut dulce, ſi ſitiant, bibere, atque ſic conquieſcere. Reliqua uero uictus ratio haud ſecus, quàm ubi crapula aliquem læſit, inſtituenda eſt. Potiones, dilutę quidem, tarde permeant, circunducuntur, & ſupernatant in præcor-

diis, nec urinam mouent. Qui huiusmodi potione plenus est, nullum opus, quod uidelicet eliquato iam corpore, aut ui, aut celeritate aggrediendum sit, celeriter perficere ualet. Itaq; à cibo, donec concoctus fuerit, quiescere oportet. Meraciores uerò, austerioresq; potiones, corpori tremoré, & capiti pulsationem inducunt. Proinde sic affectus superdormire debet, & calidũ aliquod iusculum, quod quàm iucundissimum ei uideatur, sorbere. uix enim citra noxam tolerat ieiunium is, quem capitis dolor & crapula infestat. Qui uerò semel duntaxat comedunt, ii imbecilli sunt, & calidam emittunt urinam, utpote præter consuetudinem exinaniti, os ipsis salsum redditur, & amarũ, & in quo uis opere cõtremiscũt, tẽpora tendũtur, cœnã concoquere nõ perinde possunt, ac si pransi fuissent, quocirca minus quàm cõsueuerũt bi-
*Offam bere debẽt. Et liquidiorem *mazam, panis loco assumere, ac ex oleribus Rumicem aut Maluam aut Betam, item ptisanã. Atque dum cibantur, uinum modicum bibere, idq; dilutius, à cœna parum ambulare donec urina defluat & mingãt. Neq; inuti
83 les sunt eis pisces elixi. Cæterum ex cibis
84 hi maximè notantur ut insignes. Allium
fla

flatum efficit, pectus calfacit, caput grauat, fastidium parit, dolorem qui antea infestare consueuit, iritat, urinam ciet. atq; hæc est eius utilitas, sed tum maxime conducit, ubi quis uel potationi, uel ebrie
tati indulgere proposuerit. Caseus, flatum 85
inducit & angustiã, cibos accendit, cruditaté parit, & coctioni resistit. his uerò qui potu se repleuerunt, non alius cibus no-
centior est. Legumina, & cruda & cocta 86
& fricta, & macerata, & uiridia, omnia flatum excitant, quã ob rem, nisi cum aliis cibis, ipsis utendum non est. Præterea singu
læ species sua habẽt uitia. Cicer siue cru 87
dum siue frictum, flatum, laboremq; pa-
rit. Lens, non detracto cortice, astringit, 88
tumultumq; efficit. Lupinus uerò ab ho 89
rum uitiis uel minimis, quàm maxime ab-
est. Laserpitii tum caulis, tum succus, ut 90
quibusdam maxime, ita inexpertis minime aluum ducit. Nominatur uerò arida 91
cholera. Id uerò potissimum accidit, ubi 92
cum multo caseo aut bubularum carnium edulio miscentur. Quippe bubulæ car- 93
nes, atrabilarios excitant morbos: superari
enim natura * non potest, sed uentrem nõ * Ipsarũ
mediocriter lædere natæ sunt, utpote co-
ctu difficiles. Quanquàm facilime de- 94

ſcendunt, ſi coctis ipſis, uetuſtisq́; quis uta-
95 tur. Caprinæ carnes magis cõducere uiderentur, niſi omnia bubularũ carniũ uitia haberẽt. Nam & coctu difficiles ſunt, & flatũ magis ſuſcitant, & ructũ bilemq́; pariunt. Igitur ut odoratiſsimæ, & ſolidę, & ſuauiſsimæ, ſaluberrimæ ſunt, ſiue coctæ, ſiue frigidæ: ita iniucũdæ, odore graues, & duræ, peſsimæ ſunt. Nec ſecus de recentibus dicendum eſt. Præterea ut per æſtatem optimæ ſunt, ita per autũnum, ut
96 peſsimæ damnantur. Porcinæ carnes, ſiue ſubcrudæ, ſiue ambuſtæ ſunt, malæ ſunt. Nam & bilem pariũt, & turbationẽ. Suillis, nullæ aliæ carnes meliores ſunt: idq́; ſi nõ admodum pingues, neq; etiam pertenues ſint, ac neq; ueteris uictimę ætatem ſint aſſequutæ. At uerò reiecta pelle,
97 & ſubfrigidæ edendæ ſunt. Arida cholera uentrem inflat, ſtrepitum & dolorem, tum laterum, tum lumborum excitat, aluus
98 nihil deiicit, ſed aſtringitur. Eum qui ſic affectus eſt obſeruare oportet ne uomat, ſed aluus ducenda eſt. Proinde ex aqua calida, eaq́; quàm pingui clyſterem* adhibe: mox perunctũ in aquam calidam demitte, *ita ut decumbere poſsit, ac paulatim calida aqua perfunde. Si enim ſic cal-
facto

* ὅτι τάχιστα, i. q̃ citiſsime
* ἐν σκάφῃ. id eſt, ĩ ſcapha, pelui.

facto aluus ſubducitur,haud dubie ſolui-
tur morbus. Hunc ſomnus quoq; iuuat, 99
ac bibere uinum tenue uetus, idq́; mera-
cius. Dabis etiam oleum, ut & quieſcat, 100
& aluus ſubducatur, atque ſoluatur affe- 101
ctus.à reliquis uerò cibis arceatur. Quòd 102
ſi dolor non remittitur, lac aſinæ, do-
nec purgetur,potui dandum eſt. Soluta 103
aluo, ſi bilis deiiciatur,& tormina,uomi-
tiones,ſuffocationesq́; infeſtant, quieſce-
re oportet,mox aquam mulſam bibere &
non uomere.

DE AQVA INTER CVTEM.

AQuæ inter cutem duo ſunt* genera, 104
unũ ſubcarnoſum:id hominem quũ *φύσεως. i.
aggreditur,ineuitabile eſt. Alterũ ex flati naturæ.
bus conſtat,quod multa,eaq́; bona fortu-
na indiget.maxime uero erũnis, fomẽtis,
tẽperantiaq́; curatur. Igitur ſic affecto ari
dos,acresq́; cibos exhibere oportet, ita e-
nim citiſsime reddet urinã,& perquã for-
tis efficietur. Quòd ſi ſpiritus quoq; diffi-
culter redditur,idq́; uerno tempore, & in
ætate uigoris, fuerintq́; uires ualidæ, ex
brachio ſanguinẽ detrahere, mox calidos
panes, ex uino nigro ac oleo ſubmerſos
edere, atq; ut potionẽ maxime minuere,

ita plurimũ exercitari cõuenit. Carnes ue-
rò ſuillas easq́; craſſas ex aceto coctas e-
dere ut arduas ĩambulationes tolerare ua-
105 leat. Qui uentrẽ inferiorẽ calidũ habent,
atq; excrementa acria & inęqualia deiici-
unt, ii ob eliquationẽ ſic afficiuntur. quòd
ſi ualeant uires, albo ueratro diuertenda
ſunt: ſin minus, frumentacei tritici cremor
craſſus, frigidusq́;, & lenticula, & faba, &
panes ſubcineritii, & piſces exhibendi
ſunt, febricitanti quidẽ elixi: non febrici-
tanti uerò, aſsi. atq; huic uinũ, nigrum, illi
uerò aquã aut à Meſpilis, aut Myrtis, aut
* οἰνάνθης ἀμπέλων. malis, aut Sorbis, aut Palmulis, aut * La-
bruſcæ flore dare oportet. Si uerò nõ fe-
bricitantẽ tormina cruciàt, in primis qui-
106 dem paulum lactis * bubuli calidi dandũ
* γαλ'ς, ὄνείου aſinini. eſt, deinde augẽda eius quãtitas eſt. Itẽ li-
ni ſemẽ & triticea poléta. Aegyptia quoq;
faba decorticata, madidaq́;, amara parte
abiecta, potui detur. Edat uerò oua aſſa
ſemicõcreta, ſimilam, milium, chondrum
ex lacte coctum. Hæc, facta prius deco-
ctione, refrigerentur, ac ſic deinde com-
edantur. Quòd ſi aliæ quædam uel eſcæ
uel potiones iis ſimilẽtur, ipſæ quoq; ex-
107 hibeantur. Id uerò maxime pertinet ad
uictus rationẽ, ut obſerues caueasq́;, tum

in acut

In acutis tum diuturnis ægritudinibus, accesiones, inclinationesq́; febrium, ut quo tempore cibus exhibendus sit deprehendas: item quando plurimum ab impetus uehementia abesse uidentur. Ac consyderare quoq; oportet capitis dolores, aut ab exercitatione, aut cursu, aut itinere, aut uenatu, aut alia quadam intẽpestiua ambulatione, aut uenere prouenientes. item decoloratos, raucos, splenicos, exangues, suspiriosos, sicca tussi laborantes, sitiẽtes, flatuosos, uenarum clausuras, intenta pręcordia dorsum & latera, item torpentes, obscure uidentes, aurium tinnitu uexatos, urinam non continentes, regio morbo affectos, cruda per aluum deiicientes, sanguinem è naribus, aut sede profundentes, & inflatos, & quos fatigatio uehementer infestat. Eos itaque, si dictas affectiones uincere nequeunt, haudquaquam medicamento purgabis. nam & periculo ægrũ expones, & nihil iuueris, & spontaneas etiam iudicationes, liberationesq́; impedies. Si sanguinis detractio cuipiam conducere uideatur, aluus in primis astringenda est, postea uerò sanguis mittendus est, famem quoque instituere & uinum auferre oportet, deinde decẽti uictus

108 (beside "Ac consyderare"); 109 (beside "nam & periculo")

ctus ratione, & fomentis & perfusionibus
110 reliquam curationem perfice. Si uerò astri
cta fuerit aluus, mollem adhibe clysterem.
111 Quòd si medicamento opus esse animaduerteris, exhibito Veratro, p superiores partes tutò expurga, sed per inferiores
112 horum neminẽ. Ac mirifice prodest, urinã ciere, sudores excitare, inambulare, leniter perfricare, ne uidelicet habitũ reddas densiorem, id quod alii, ipso prono in cubili iacente, facere debent. Si supra se-
113 ptum trãsuersum pectus afficiatur, æger, ut magna ex parte sedere, ita nequaquàm decumbere debet, ut, quoad uires permiserint, sedens calido fomento perfricetur. At imum uentrem sub septo transuerso, infestante dolore, infirmus neque moueatur, neque fricetur, sed quietus iacere debet.
114 Quæ ab imo uentre per urinas, sudoresq; soluuntur, si per se modice labuntur: debiles quidem affectus discutiunt, uehemẽtes autem non tam facile. quippe qui ita laborant, aut pereunt, aut sine malis aliis sanari non possunt. nam confirmari solent eiusmodi affectus.

AD aquam inter cutem. Cantharides tres, abiectis pedibus, & capite, terunrur in aquæ cyathis tribus, atq; ieiuno potui

potui dantur. Quòd ſi dolor potantem afſecerit, calido fomẽto perſundatur, deinde unctus panem edat ex oleo.

SAnguinem ſupprimentia. Fici ſuccum 115
lana ſuſceptum, intus ad uenam adhibe. aut inuoluto coagulo nares obſtrue. aut chalcitim adhibens, digito comprime extrinſecus compreſsis utrinq; cartilaginibus, aut uẽtrem cocto aſinino lacte ſolue. Item deraſo capiti refrigerantia impone, ſi uidelicet calido id tempore contingat. Seſamoides ſeſquidrachmæ pondere tritũ, ex aceto mulſo potui datum, per ſuperiores partes expurgat. Admiſcetur quoque ueratris: ut tertiã faciat potionis partem, atque ſic minus ſuffocat.

AD TRICHωSIN.

ACui foramen habenti filum ſubiice, & ſuperiorem tenſæ palpebræ partem traiiciens uſque ad inferiorem, quod ſuperius eſt inferiori adliga: tum fila extẽdens conſue & colliga, donec decidat. Et ſiquidẽ ſatis fuerit, bene habet: ſin aliquid deficit, eadem reficito. Mariſcas, quæ hæmorrhoides dicuntur, eodẽ modo pſequeris. Acui craſsiſsimum & quàm maximum lanæ ſuccidæ filum adliga. tutior enim eſt

* Additũ ex fide uetuſtiſsimi codicis.

huiuſm

huiusmodi curatio, deinde comprime, & medicamento excedente utere: nec ante quàm decidat perfunde, atq; unam semper relinque: postea ueratro purgabis. Exinde exercitetur, & sudet ab exercitatione, & mane admodũ perfricetur. à cursu, temulentia, & acribus, pręter Origanũ abstineat. Septẽ diebus, uel ter in mẽse uomat. Sic enim corpus optime habebit. Vinũ fuluũ, austerum, dilutũ, paucum bibat. Suppuratis dissectos Scyllæ orbiculos in aqua excoque, cũ uehementer ferbuerit effunde, aliamq; infunde & coque, donec percoctũ & molle tangẽti appareat. deinde terito & Cyminum frictũ admisce, Sesama candida, Amygdalasq; recentes terens ex melle ęclegma facito, datoq;. Post hęc uinũ dulce bibat, Papauerisq; albi triti acetabulũ aqua perfusum, & cum frumentacea farina melleq; coctũ, ac tepidum sorbeat. Diemq; sic transigat. Deinde ad ea quæ contingũt attendens, cœnam dato.

AD TORMINA INTESTINORUM.

FAbarum purgatarũ quadrantem accipe, & duodecim Rubiæ surculos admisce, diligenter excoque, & delingendum exhibe.

AD OCVLOS.

CInerẽ lotũ accuratè maceratũ simul adipem leuẽ non liquidã tere, uuæq; acerbæ succo humecta, in sole sic desicca, ut unguenti instar humidũ sit, cum exiccatum fuerit, leui, trito, & sicco oculos inunge, angulosq; eorum consperge.

AD HVMENTIA.

EBeni drachmam, æris usti ad coté triti obolos nouem, croci obolos treis. hæc ubi triueris, uini dulcis heminam atticam infunde. Deinde soli expone, obtege, cum excoctum fuerit, eo utere.

AD DOLORES.

CHalcitidis drachmam, uuę passæ expressæ partes duas, Myrrhã Crocũq; tere, mulsum admisce, ad solem coquito, eoq; dolentes perunge, sit autem in uase æneo.

QVONAM MODO VVLVAE strangulatio cognoscatur.

DIgitis preme, & siquidem sentiat, ea est, si non, conuulsio est.

AD HYDROPICOS POTIO.

MEconii, id est, succi papaueris in pilas adformati acetabulum Atticum.

POTIO.

SQuamæ melas tres latitudine cũ farina triticea tenuiſsima adglutina, lęui, tere, catapotii inſtar conuolue, datoq́;.

VT VENTER INFRA PVRgetur & à ſtercore mundetur.

IN caricas ſingulas Tithymalli guttas ſeptem inſtilla, etiã ſi pueris detur, deinde in nouo uaſe compone, & reconde, ſicq́; affecto ante cibum dato. Meconium item tere, aquam infunde & percola, farinam ſubige, * Itrium coque, mel coctum infunde, edendumq́; hydropicis exhibe. bibant uinum dulce, aquoſum uel aquam mulſam dilutam. Meconium ab excrementis collectum reconde & cura.

* ἴτριον. quid ſit, uide Galenũ lib. priore περὶ σπέρματος.

Hippocratis περὶ διαίτης ὀξέων, de ratione uictus in morbis acutis, libri quarti finis: quẽ Galenus Hippocratis eſſe non putat.

GALENI

ΤΕΧΝΗ ΙΑ-ΤΡΙΚΗ.

id est,

ARS MEDICINA-NALIS,

NICOLAO LEONI-ceno interprete.



TRES sunt omnes doctrinæ, quæ ordini inhærent. Prima quidē ex notione finis, quę per resolutionem fit. Secunda ex compositione cōstat eorum quæ ex resolutione fuerint inuenta. Tertia ex diffinitionis dissolutione, cui nunc incumbimus. Licet autem huiusce-modi doctrinam appellare, non tantū diffinitionis dissolutionem, sed & explicationem, ut nonnulli uocarunt, uel resolutionem, uel diuisionem, uel, ut nonnulli alii, explanationem, uel expositionem, ut alii. Conati sunt & Herophiliorū quidam talem facere doctrinam, quemadmodum Heraclides Erythræus. Conati sunt

& eam quæ per compoſitioné, & ipſi Herophilii, & quidem Eraſiſtrati ſectatores, & Athenæus Attaleus. Neminem tamen ante nos, eam quæ oritur à notione finis, ſcripſiſſe comperimus, ex qua omnes artes uia quadam, atq; ordine cõſtituuntur: ſed illam quidem alio pertractauimus loco.*Hic uero diffinitiuã faciemus doctrinam, quæ quantũ ab ea quæ ex reſolutione conſiſtit, & dignitate, & ipſo docendi ordine linquitur, tãtum & ad totius compẽdium, & ad ſingulorũ memoriam præſtare inuenietur. Sufficienter enim facilime memorię commẽdantur ex diffinitionis diſſolutione uniuerſa. Quoniã totius artis capita in ſe optima diffinitio complectitur, quam quidam ſubſtantialem uocant, ex aduerſo diſtiguentes aliis, quæ *notionales appellantur. Illę ſiquidem ab his quæ accidunt rebus diffinitis, hæ uero ab ipſa* eſſentia conſtituuntur. Elaborata autem eſt à nobis particulatim, & in pluribus conſcripta tractatibus totius medicinæ contemplatio, quibus uti quis poſſit ad triplicem doctrinam. Nunc uero diffinitiuam aggrediemur, hoc unum præfati, quòd ſolum capita, & quædam ueluti concluſiones eorum, quæ alibi

*Lib. de conſtitutione artis.

*Intellectuales

*Subſtantia

*lati

*latius ſunt demonſtrata, nunc à nobis dicentur.

*κατὰ διέξοδον gal. lib. 3. epidemiarũ doctrinã per diexodũ factam ab ea diſtinguit, qua in exponendis aliorum libris utitur.

QVID EST MEDICINA.

CAP. II.

MEdicina eſt ſcientia ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum: nihil uerò differt, & ſi quis ægrorum dixerit. Nomen uerò ſciẽtiæ communius, non autem propriè accipere oportet. Salubre autem, & inſalubre, & neutrũ, unumquodque tripliciter dicitur: hoc quidem ut corpus, hoc autẽ ut cauſa, hoc uero ut ſignũ. Etenim corpus, quod ſanitatem natura ſuſcipere aptum eſt: & cauſam, quæ eandem efficere, uel conſeruare: & ſignum, quod poteſt indicare: hęc omnia Gręci ſalubria appellare conſueuerũt. Eadem ratione & ſuſceptiua morborũ corpora, & eoſdẽ efficiẽtes, conſeruanteſq; cauſas, & ſigna indicantia, inſalubria uocãt. Nec aliter corpora neutra, cauſas ſignáue dixerunt. Et ſecundum primam quidem rationem, atque præcipuam cauſarum ſalubrium eſt medicina ſcientia, propter eas autem, & aliarum ſecundo quidẽ loco inſalubrium, & tertio neutrarum. Et poſt has eodem modo corporum, primo quidem, & hic ſalubrium, ſecundo loco inſalubrium, ter-

tio neutrorum. Itidem de ſignis dicendum. In actionibus autem, prima quidem eſt corporum cognitio quæ habetur ex ſignis: poſt hæc earum quę in ipſis inuentio cauſarum.

QVOT MODIS DICITVR effectiuum, indicatiuum, & ſuſceptiuum. CAP. III.

SEd quoniam & effectiuũ, & indicatiuum, & ſuſceptiuum dupliciter unumquodq; dicitur, hoc quidẽ ſimpliciter, hoc uerò ut nunc, noſſe oportet amborum eſſe medicinæ ſcientiã. Ipſum uerò ſimpliciter duobus dicitur modis, & quod ſemper & quod plurimũ: de quorum utroq; medicina pertractat. Neutra uero & cauſa, & corpus, & ſignum, & quod ſimpliciter dicitur & quod ut nunc, tripliciter unum quodq; appellatur: hoc quidem quia neutrius cõtrariorũ eſt particeps, hoc uero quia utriuſq;, hoc uero quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia utrunq; contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquando plus alterum. Eſt uerò & in tota diffinitione, ſi uerba animaduertimus, ambiguitas quædam.

dam, quam & ipſam diſſoluere oportet. Cum enim dicitur, medicinam eſſe ſcientiam & ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum, ſignificatur & quòd omnium particulariũ, & quò d quorũdam, & qualium. Sed omnium quidem infinitum quoddam eſt, atq; impoſsibile, quorũdam diminutũ, atq; artificio carens. qualium uerò artificioſum pariter, atque ſufficiens ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in medicinæ diffinitione comprehendi. Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualia nam ſint, & ſalubria, & inſalubria, & neutra: poſt hæc de ſignis, & cauſis diſſeremus.

DE CORPORE SALVBRI. CAP. IIII.

SAlubre ſimpliciter corpus eſt quod ab ipſo naturæ ortu bonam habet temperaturã in ſimplicibus, & primis particulis, atque in his quæ ex illis componuntur inſtrumentis, eſt commoderatum. Salubre uerò nunc, eſt corpus quod in præſenti eſt ſanum. Eſt uerò & hoc eo tempore quo ſanum exiſtit, bonam habens temperaturam, & commoderationem, non tamen optimam, at ſibi propriam. Ipſius uero ſalubris ſimpliciter corporis, tale qui-

dem eſt ſemper id quod eſt optima temperãtia prædítum, ac maxime eſt commoderatum. Vt multum autem quod à conſtitutione optima non ualde admodum deficit.

DE CORPORE INSAlubri. CAP. V.

INſalubre uerò ſimpliciter eſt corpus quod ab ipſo ortu naturæ, uel in conſimilibus partibus malam habet temperaturam, uel in inſtrumentariis incommoderationem, uel utrunque uitium. Inſalubre uerò nũc eſt corpus quod eo tẽpore, quod tale dicitur, ęgrotat. Neque obſcurum eſt, quòd & hoc ipſum, eo quo dicitur tempore ægrotans, uel in conſimilibus malam habet temperaturam, uel in inſtrumẽtariis incommoderationem, uel utrunq;. Eſt uero & ſemper inſalubre, quod ex ipſo naturæ ortu uel peſsimam habet temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis omnibus, uel aliquibus, uel his quæ obtinent principatum, uel in inſtrumentariis, incommoderatum exiſtit. Similiter autem in his, uel omnibus, uel aliquibus, uel illis quæ obtinent principatum. Vt multũ uerò inſalubre eſt corpus quod ab huius quidem uitio recedit, nondum

tamen

tamen mediocritatem attingit.

DE CORPORE NEVTRO. CAP. VI.

QVoniam uero & neutrũ corpus tripliciter dicebatur, unũ quidẽ quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps, aliud autem quoniam utriusq;, aliud quoniam aliquando huius, aliquando uero illius. Iuxta primũ significatum neutrũ erit corpus, quod exquisite medium est, & saluberrimi, & insaluberrimi corporis : & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturę ita est cõstitutum, hoc uero ut nunc, quod in præsenti tempore medium exquisite existit saluberrimi, atque insaluberrimi corporis. Ipsius autem simpliciter, semper quidẽ tale est id, quod in omnibus ętatibus tale perdurat. Vt multum autem quod nonnullas recipit mutationes. Iuxta uero secundum significatum neutrũ erit corpus quod ab ipso ortu naturæ contrarium simul est particeps dispositionũ, aut scilicet in una parte, aut in duabus differentibus. in una quidem si secundum alteram * oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, uel etiam secundum utranque, sed in formatione, uel magnitudine, uel *ἀντίθεσις

numero partium, uel situ delinquat, aut contrà in his quidem rectè se habeat, uel omnibus, uel quibusdam, peccet autem in temperatura: in differentibus uero partibus, & iuxta omnes oppositiones potest quidquàm simul particeps esse contrariorum. Et semper quidem tale quod per omnes ætates in eodem habitu perseuerat. Vt multum uerò quod aliqua ex parte euariat. Ita uerò & nunc neutrum erit corpus iuxta secundum significatum, quia uel parte in una hæc quidem ipsi salubria existunt. illa uerò insalubria, uel in differentibus ita afficitur partibus. Iuxta uero tertium significatū neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando uerò insalubre * existit, ut nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis uigent, quum uerò ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contrá. In uno autem tempore quod ita est neutrum consistere nequit: latius uero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quòd nunc, dupliciter dicitur. Salubre igitur, & insalubre, & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale unumquodq; sit, sufficienter explicauimus. De signis uerò deinceps dicendum.

* ἐν μέρει. id est, per uices.

DE

DE SIGNIS SALVBRIBVS. CAP. VII.

SVnt autem & ex his ſalubria quidem quæcunque præſentem indicant ſanitatem, & futuram prænuntiant, & præteritam memoriæ ſubiiciunt: inſalubria uero quæ & præſentem indicant ægritudinem, & futuram prænuntiant, atque præteritam memoriæ ſubiiciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram diſpoſitionem oſtendunt, prænuntiant, & memoriæ ſubiiciunt, & quæ nihil omnino de diſpoſitionibus indicant, uel nihilo magis ſalubrem, quàm inſalubrem diſpoſitionem oſtendunt, & partim quidem ſalubrem, partim uero inſalubrem indicant diſpoſitionem, & quæ aliquando quidem ſalubrem, aliquando uero inſalubrem, & hæc quoq; ſecundum tria tempora, ueluti ſalubria, & inſalubria appellantur. Vocantur autem nonnunquàm à uetuſtioribus medicis hæc omnia ſigna prænuntiatiua, quamuis præſentium, ac præteritorum indicatiua ſint. Vſus uero non paruus ex prænuntiatiuis, atque indicatiuis: minor autē ex his quę memoriæ ſubiiciūt. Cum uero ſint ſalubria corpora, hęc quidem ſimpliciter, hæc uero ut nunc,

quæ & bene ualentia dicuntur, salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam: quoniam nonnulla quidem semper, nõnulla uero ut multũ essent talia, & semper quidem quę optimam constitutionem sortita sunt, ut multum uero, quæ non magnopere ab illa recedunt.

DE SIGNIS OPTIMAE constitutionis. CAP. VIII.

HOrum autem dignotiones sumendæ sunt ab his, quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his quę ex necessitate consequuntur, operationibus, casibusq;, qui proprie accidentia uocantur. Ab essentia quidẽ ipsa eorum quę optimã habent constitutionem, commoderatione cõsimilium quidem, in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate. Instrumentalium uero, in quãtitate, ac numero eorũ ex quibus componuntur, ac præterea formatione, situ partium singularũ, ac totius instrumenti. Ex his uero quæ ex necessitate consequuntur consimilia, quantum quidem attinet ad tactum à mediocritate, quæ in mollitie, ac duritie consistit. Quantum uerò ad aspectũ, à colore optimò, & lęuitatis, atq; hispiditatis mediocritate. In operationibus, à perfectione, quã

& ipso

& ipſorum uirtutem appellamus. Ab his uero quę inſtrumẽtarias partes conſequuntur, à commoderatione, & pulchritudine omnium totius corporis inſtrumentorum, ac præterea earum quę ipſis inſunt uirtute operationum. Optimæ igitur conſtitutionis corporum ſigna indicatiua ſunt hæc. Eorum autem quæ ab ipſa deficiũt, & adhuc tamẽ ſalubria exiſtunt, nonnulla quidem in conſimilium temperatura uitium aliquod paruum habent, nonnulla uero in inſtrumentariorum commoderatione, & hoc quoq; perexiguũ. Accidit autem hoc uel in omnibus, uel in aliquibus, aut in utriſq;. Vitiorum uero genera eadem ſunt his quæ uirtutem perficiunt. Temperatura quidẽ in conſimilibus. Numerus autem, & formatio, & magnitudo, & ſitus, in inſtrumentariis. Vtriſq; uero communis unitas, quam & ipſorum continuitatem appellamus. In his autem ipſis generibus ſunt corporum inſalubrium uitia ſecũdum utrunque inſalubritatis modum. Terminus autem qui utrunque diſtinguit, eſt operationis læſio ſenſibilis. Quæ uero ab optima corporum conſtitutione breue aliquid deficiunt, re uera quidem & ipſa in aliquo ſunt offenſa, non tamẽ id ſenſu comprehen

prehenditur. Distinguuntur uero ex eo, quod magis, minusúe in operationibus existit, ac quia causis * quæ ægritudinem pariunt, non æque resistunt. Quæ autem simpliciter insalubria sunt corpora, distinguuntur ob id, quòd facile à causis * quæ morbos committendi uim habent, superantur, & quoniam in uigore operationum plurimum deficiunt. In medio autem amborum collocantur ea quæ neutra simpliciter appellãtur, & cum latitudine quadam. Quo fit ut tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationũ lęsionibus distinguũtur. Quę igitur dolore infestantur, & quorum motus sunt uitiosi, aut omnino interierunt, manifestas habent determinationes. Quæ uero imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantiis facile discernuntur, in paruis uero ambigua sunt: atque idcirco in eo genere noxę collocatur, quę neutrius contrariorum participat dispositio, quam & ipsam neutram diximus appel

*Insalubribus

*Insalubribus

appellari, ita tamē ut horum omnium ſenſus ſit iudex, non ipſa natura rerum inſpiciatur, ne periculum ſit in dogma perpetuę paſsibilitatis incidere, & quidem ſigna ſanorum corporū. Sed quæ inſalubria, ſalubriaq́;, & neutra exiſtūt quātitate diſtātiæ differēt duobus inuicē contrariis terminis à nobis ſtatutis, optima uidelicet conſtitutione corporis, & nuper facta ægritudine, ac deinceps conſiderātibus utri eorum uiciniora ſunt ea quæ ad examen corpora ueniunt. Quę enim proximiora ſunt optimæ conſtitutioni, ſalubria: quæ uerò ab hac longius diſtant, atque ad ea quæ iam ægrotant magis accedunt, inſalubria: quæ autem intermedia, atq; æqualiter ab utriſque diſtare uidentur, neutra. Optimæ igitur conſtitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum uerò quæ ab ipſa deficiunt, totidem ſunt numero genera, quæ in magis, & minus ſecari poſſunt. Cum autem in tres * latitudines diuiſa ſint, corporis inſalubris ſimpliciter indicia tredemus. ex his enim & reliquæ duæ latitudines innoteſcent. Generaliter igitur prius à nobis in eo quem de optima conſtitutione ſermonem habuimus, ſpecialiter autem nunc dicetur, ſi prius partes diuiſerimus.

*μέρη.ί. partes

QVOT

QVOT SVNT DIFFEREN-
tiæ partium. CAP. IX.

SVnt uerò earum quatuor uniuersę differentiæ: quoniam nonnullæ earum principia existunt, aliquæ uerò ab ipsis originem habent, aliquæ nec aliarum gubernationi præsunt, neque aliunde gubernantur, quum insitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur: quædam uerò sunt quæ insitas simul, & aliunde emanantes habent. Principia igitur sunt, cerebrũ, cor, hepar, testiculi. Ab illis uerò ortum habent, atque eisdem subministrant, nerui quidem, & spinalis medulla cerebro: cordi uerò arteriæ, hepati, uenæ: ipsa uerò seminaria uasa testiculis. Quæ autem à seipsis gubernantur, sunt, cartilago, os, copula seu ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Reliquæ uerò partes, cum unà cum istis habeant ex seipsis * regimen, arteriis, neruis, & uenis insuper eguerunt. Capillorum autem, atque unguium neque regimen ullum est, sed generatio tantummodo. Hæ igitur sunt partium differentiæ.

* διοίκησιν

DE SIGNIS CEREBRI.
CAP. X.

In

INdicia autem ſingularum temperaturę ſumpto à cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt uerò quinq; inſita genera quæ ipſius naturam oſtendunt. Primũ quidem totius capitis diſpoſitio. Secundum uerò ſenſibilium operationum uirtus, & uitiũ. Et tertium actiuarum. Quartum earum quæ tenent principatum. Et quintum naturalium. Aliud uerò genus præter hæc omnia, ea quæ extrinſecus aduenit alteratio. Et quidem totius capitis diſpoſitio ex magnitudine, & figura ſumitur, atque capillis.

DE PARVITATE ET MAGNITUDINE CAPITIS. CAP. XI.

PAruum igitur caput uitioſæ conſtitutionis cerebri proprium eſt indicium. Magnum uerò non neceſſario indicat bonam cerebri compoſituram. Sed ſi quidem ob inſitæ uirtutis robur, quæ multam, atque optimam materiam afformauerit, eueniat, optimum eſt ſignum. at ſi ob materiæ tantum multitudinem: haudquaquàm bonum. Diſtinguenda uerò ſunt hæc, & ex figura ipſa, & ex his quæ ab eo habent ortum. A figura quidem ipſa, ſi concinna: ſemper enim hoc bonum eſt ſignum. Ex his autem quæ ab eo ortum habent, ſi ualida

lida

lida eſt ceruix, & ſi aliis oſsibus optimè conſtet, atque omnis præterea neruoſa ſubſtantia boni ſit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem capitis figura eſt, ueluti ſi excogitares ſphæram exquiſite rotundam, ex cera conſtructam, paulatim utrinq; depreſſam. In hac enim neceſſe eſt, ut poſteriores, prioréſue partes plus gibbæ fiant, quàm ſphæræ cõueniat. Quæ uerò utrinq; cõſiſtunt, magis rectæ. Quòd ſi ea quæ ſecundũ occiput eminentia minuatur, ſimul intueri oportet neruos, atq; ceruicem, unà cum oſsibus aliis. Nam ſi ſecundum naturam cõſtiterint, materiæ defectu, non uirtutis imbecillitate cõtingit. Illis uerò non recte ſe habẽtibus, principium eſt debile, ſed magna ex parte defectus qui occipiti eueniunt, conſequitur eorum quæ ante diximus imbecillitas, rariſsimeque aliter euenire conſueuit. Caput etiam quod ſecundum occiput in acutiem tendit, animaduertere oportet, iiſdem adhibitis diſtinguendi rationibus, quibus antea in capite grãdiori facto utebamur. Vt plurimum uerò, & hic optimum eſt ſignum figura cõcinna eius partis, quæ cerebro adhæret, quam nonnulli medici poſterius cerebrum appellare conſueuerunt

runt

runt, quemadmodum & poſterius exiſtit ea ſutura quæ Græcæ literæ Λ formã habet præfinitam. Eſt uerò huiuſmodi pars ſpinalis medullę principium, & eius ratione neruorũ omnium qui actionibus obſeruiũt. Ipſa autẽ pars poſterior per ſe ipſam paucos admodum ſenſitiuos obtinet neruos, plurimos uerò actiuos: ſicuti & anterior, ſenſitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare ubi bene fuerit affecta utraq; pars, robuſtas habebunt eas quæ ab ipſis deriuationes. Eædem quoq; diſtinctiones adhibẽdæ ſunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quę etiam ad poſteriores, earundemq́;, & paruitatem, & magnitudinem inſpicere oportet, atque itidem figuram, & ſenſus ibi collocatos, uiſum, guſtum atq; odoratum. Hæc enim ſe inuicem indicant, atq; atteſtantur, & quæ à principiis oriuntur, principii uirtutem, uel uitium, & principium eorum quæ ab ipſo naſcuntur.

DE OPERATIONIBVS OBTI-
nentibus principatum.

CAP. XII.

EArum autem operationum quæ obtinent principatum, uirtus, ac uitiũ ſunt ipſius principii ſeorſum tantummodo in-

dicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à ſolo principio proueniunt. Ingenium quidem igitur, ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat: tarditas uerò intellectus craſſam: diſcendi uerò facilitas, formarum facilè ſuſceptiuam: memoria autem ſtabilem, ac firmam: ſicuti & diſcendi difficultas, formarum non facilè ſuſceptiuam: & obliuio, fluidam. Mobilitas quoque in opinionibus, calidam: ſtabilitas autem frigidam. Adhuc autem duo indiciorum genera mihi uideor prætermiſiſſe, de quibus ſum ab initio me dicturum pollicitus, quorum alterum ad operationes attinet naturales, alterum uerò ad ea quæ extrinſecus occurſant. Erit autem in utriſque ſermo communis.

SIGNA BONAE TEMPERAturæ cerebri. CAP. XIII.

SI quidem cerebrum ſortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam, omnia quæ diximus habebit moderata, & excrementa quæ uel per palatum, uel aures, uel nares, uel oculos expurgantur, hæc quoque modice ſe habebunt, atque ab his quæ extrinſecus occurſant minime lædetur, quæ ſcilicet uel calefaciunt, uel frigefaciunt, uel humectant, uel

exiccant. Talibus igitur capilli capitis, cum adhuc ſunt infantes, ſubruffi: cum uerò pueri, ſubflaui: cum iam adoleuerint, flaui fiunt, mediiq; ſunt inter eos qui omnino ſunt criſpi, & ſimplices: non tamen facile caluitium patiuntur. Quę uerò dicuntur ac poſterius dicenda indicia ſunt, accipere oportet, ut in bonam habentibus temperiem habitationibus. Quæ autem ad capillos attinent, non ad locorum tantum, ſed ad humorum quoque temperaturam, qui cerebri temperaturæ proportione reſpondent, ſunt referenda. Si uerò calidius ſit quàm oporteat, in altera uerò oppoſitione bonam habeat temperaturam, ſi quidẽ in caliditate exceſſerit, omnia quæ dicentur, ualidiora erunt indicia, ſed ſi paruus fuerit exceſſus, imbecillia. Communis autem hæc ratio ſtatuatur in omnibus partibus, quarum intemperaturis uniuerſis indicia ſumus tradituri.

SIGNA CALIDI CEREBRI. CAP. XIIII.

DEinceps igitur ſigna cerebri caliditatis, præter ea quæ nuper diximus, ſunt, quòd ea quę circa caput omnia rubicunda, & calida magis, & quæ in oculis uenæ ſenſui patẽt. Capilli quoque, in his

ſtatim in lucem editis habẽt in capite ortum. & quum plurimũ in caliditate à mediocri temperatura receſſerint, nigri, & robuſti, & criſpi fiunt. Cum uerò non multum, ſubflaui quidẽ ab initio fiunt, deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus caluitium patiũtur, atq; eò magis qui plus modico ſunt calidiores. Excrementa uerò quæ per palatum & nares, & oculos, & aures, pauca, & * concocta ipſis exiſtunt, quum integram habuerint ſanitatem. cum uerò eis caput repletur, continuo enim ac tum præſertim, cum nullam uictus ſeruauerint rationem, tale quid eis accidit, plura quidem in ipſis excrementa, atq; inconcocta generantur, implenturq; : atque aggrauantur eorum capita à calidis cibis, & potibus, odoribus, atque hiſce omnibus quæ extrinſecus occurſant, in quorũ numero eſt, & qui nobis circunfunditur aẽr: ſed præterea magis, ſi non ſolum natura calida, ſed etiam humida talia extiterint. Breuibus autẽ ſomnis huiuſmodi tẽperaturæ contẽtæ ſunt, neq; admodũ ꝓfundis.

*πέπονα. matura

SIGNA FRIGIDI CEREBRI. CAP. XV.

FRigidioris uerò, quàm oporteat, cerebri indicia ſunt, plura in ꝓpriis meatibus

tibus excrementa, & capilli recti, & ruffi, & ſtabiles, & qui longo poſt natiuitatem tempore naſcuntur tenues, atque ab initio male nutriti, & facilè à cauſis frigidis offenduntur, atq; hoc ipſo offenſionis tempore diſtillationibus, & grauedinibus capiuntur, neque ſi tetigeris, partes ad caput attinentes admodum calidę ſentiũtur, neque ſi inſpexeris, rubicundæ apparent, & oculorum uenæ omnino uiſum effugiũt, & ſomnolenti quodammodo ſunt.

SIGNA SICCI CEREBRI.

CAP. XVI.

SIccioris autem cerebri indicia ſunt paucæ ſuperfluitates effluentes, & ſenſuum perſpicacitas. Sunt autem ad uigilias prompti, & capillos habent robuſtos, & qui celerrime eis ſtatim innaſcuntur. Criſpi autem potius ſunt, quàm recti. Citò autem calui fiunt.

HVMIDI CEREBRI indicia.

CAP. XVII.

HVmidioris uerò cerebri indicia, capilli plani, & nequaquàm calui fiunt. ſenſus autẽ* turbulẽti, & excrementorum multitudo: ſomni multi, atq; profundi. Et hæ quidem ſimplices ſunt intemperaturæ.

* ἀχλυώδεις tenebricoſi.

SIGNA CALIDI, ET SICCI cerebri. CAP. XVIII.

COmpositæ autem, primum calida, & sicca, secundum quam, & superfluitatibus carent, & sensibus uigent, & plurimum uigilant, & cito calui fiunt, & prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundans alimento. Capillos uero habent nigros, & crispos, & tangentibus caput, calidi sentiuntur, & sunt rubicundi usque ad ætatem consistentiæ.

SIGNA CALIDI, ET HVMIdi cerebri. CAP. XIX.

SI uerò humiditas adiungatur caliditati, parũ utrisq; qualitatibus superantibus mediocritatẽ, color bonus, & quæ circa oculos calidiora, uenę magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti, subflaui, & nõ facilè calui fiũt. Implentur uerò atq; aggrauantur eorũ capita à calidis. At si humectentur, protinus multo magis excrementorũ habent multitudinem. Et si plurimũ caliditas, atq; humiditas creuerit, his caput est ægritudinibus obnoxium, atque excrementis abundans, & quod facilè à calefacientibus, atq; humectantibus offendatur. Auster uerò semper eis aduersatur, atq; optime in aqui

lone

lone se habẽt, nõ tamen diu uigilare possunt: & cum se ad somnum conuerterint, simul graui somno tentantur, & uigilant, & somnia habẽt imaginationibus plena, uisus eis turbulenti, neq; satis sensibus uigent. Quòd si plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate recesserit, paululum autẽ humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia præ se feret, cum quibus leuia quædã humiditatis signa coniungentur, ueluti si longe quidem humidius, paululũ uerò calidius, uehemẽtia quidem erũt, ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Cõmunis uerò hæc ratio in omnib⁹ cõpositis intẽperaturis existit.

SIGNA FRIGIDI, ET SICCI cerebri. CAP. XX.

FRigidæ uerò, & siccæ cerebri intemperaturæ, frigidum & minime coloratum sui ratione caput reddunt. Semper enim memoria repetenda quæ à nobis ab initio est distinctio posita, ut præterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur quæ circa ipsum consistunt. Protinus autem huiuscemodi temperaturæ uenis carentes habent oculos, & à causis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali sanitate fruuntur, quoniam

niam nonnunquam leuiſsima habent capita, & excrementorum moderatos efful-ſus, nonnunquàm uerò, & grauedinibus, & diſtillationibus minima ex cauſa capiuntur.

DE SENSIBVS.

CAP. XXI.

SEnſus autem eorum in iuuentute quidem omnes uigent, atque omni uitio carent, ſed progrediente ætate citò marceſcunt. Et ut ſummatim dicatur, omnes celerrimam circa caput ſenectutem oſtendunt. Quare & citò cani fiunt. Capilli uerò ipſis quidem genitis uix exeũt, & male nutriuntur, & ruffi ſunt: in progreſſu autem ætatis, ſuperante magis frigiditate caliditatem, quàm ſiccitate humiditatem, multum non calueſcunt. Econtra uerò ſi contigerit ſiccitatẽ quidem plurimum dominari humiditati, frigiditatem uerò caliditati, parum calui fiunt hi.

SIGNA CEREBRI FRIGIDI, & humidi.

CAP. XXII.

HVmidæ uerò, & frigidæ cerebri intemperaturæ faciunt homines* graui ſomno tentari, & ad ſomnũ facile conuerti, ſenſibus quoque minime uigentes, atque excremẽtis redundantes: & qui caput

* κωματώδεις.

put frigiditati, ac repletioni habẽt obnoxium, ac diſtillationibus, & grauedinibus facile tentantur, neque tamen hi calui fiunt. Hæc igitur indicia ſunt cerebri temperaturæ, à quibus ſi progrediaris ad unumquodque ſenſoriũ dignotiones trãſferre licebit.

DE OCVLIS. CAP. XXIII.

SEd ſufficiet de oculis duntaxat facere mentionem. Quicunque tangentibus quidem manifeſte calidi exiſtunt, & facile à crebro motu cientur, & uenas latas habent, hi calidi omnes ſunt. Frigidi uerò, his contrarii. Et humidi quidem molles ſimul, & multa humiditate pleni. Sicci uerò duri ſimul, & aridi. A ſimilibus autem ſuæ temperaturæ cauſis facilè offenduntur, iuuantur autem à modico contrariorum uſu. Sed hoc quidem commune in omni cuiuſcunque partis temperaturæ dignotione oportet meminiſſe.

DE MAGNITVDINE OCVlorum. CAP. XXIIII.

MAgnitudo oculorũ quidem ubi cõcinnitas, & operationũ uirtus, multitudinem bene temperatæ ſubſtantiæ oſtendit, ex qua ſunt conformati: quæ ſi deſint, multam quidem ſubſtantiam, non

tamen bene temperatam oſtendunt.

DE PARVITATE OCVLOrum. CAP. XXV.

PAruitas uerò oculorũ, adiuncta quidem concinnitate, ac uirtutum operatione paucam quidem, ſed bene temperatam ſubſtantiam oſtendit, ex qua ſunt conformati. Si uerò ſociam habuerint inconcinnitatem quandam, atq; operationum uitium: tunc paucam ſimul ac uitioſam materiam oſtendunt.

DE COLORE OCVLORVM. CAP. XXVI.

QVæ uerò ad colores attinent, ita diſtinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt ob ſplendidi luminis abundantiam. Econtra uerò nigri, & qui intermediam naturam ſeruant, cauſas quoque intermedias habent.

DE GLAVCEDINE ET NIgredine oculorum. CAP. XXVII.

GLaucus igitur oculus fit, uel propter magnitudinem, uel propter ſplendorem humoris, qui à Græcis cryſtalloides nominatur: uel propter ſitum prominentẽ, aut propter tenuis & aquei humoris,

ris, qui in pupilla existit, paucitatem, & puritatem: atque omnibus quidem in unum conuenientibus, fit glaucissimus oculus. Quòd si aliqua adsint, aliqua uerò non, tunc maior, minórue glaucedo contrahitur. Niger uerò oculus fit, aut ob paruitatem crystalloidis, aut propter profundũ situm, uel quoniã splẽdidus, ac fulgidus exquisite non est: uel quoniã tenuis humor, uel superabundat, uel purus non existit, uel propter unã aliquam ex his, aut propter omnes fieri cõsueuit. In ipsis autẽ magis, & minus, ut antea diximus, reperitur. Tenuis igitur humor quò magis ad aquæ naturã accedit, & supabundat, humidiorẽ oculũ ostendit: quẽadmodũ si crassior, ac minor fiat, sicciorẽ. Crystalloides autẽ, si quidẽ durior existat, sicciorẽ efficit oculum: si uerò mollior, humidiorem. sic & si plus modico tenuem humorẽ excesserit, sicciorem: si autem defecerit, contrarium.

DE CORDIS TEMPERATURIS. CAP. XXVIII.

DE cordis autẽ temperaturis deinceps dicendũ est. Si prius hæc in memoriã reuocauerimus, quòd unãquanq; partẽ seipsa, uel calidiorem, uel frigidiorem, uel sicciorem, uel humidiorẽ dicimus factam,

non

non alicui rei alteri comparantes. Vtcunq; enim extiterit cor natura frigidius, multò ſane calidiorem temperaturam poſsidebit calidiſsimo cerebro.

SIGNA CORDIS CALIDI.

CAP. XXIX.

CAlidioris igitur cordis, ut admodum qui ei proprius eſt, atq; conueniens, indicia quædã ſunt inſeparabilia, & propria, magnitudo reſpirationis, & pulſus uelocitas, & frequẽtia, & audacia, & ad actiones natura prompta. quòd ſi multũ in caliditate exceſſerit, tũc furibunda quędã iracundia, & temeritas adſunt. Eſt autem his thorax hiſpidus, & præſertim pectus, & quæcunq; iliis partes proximiores. Magna uerò ex parte calidi cordis tẽperatura, uniuerſum corpus calidum reddit, niſi hepar uehemẽtius obſtiterit. Dicemus autem paulò inferius totius corporis indicia. Eſt quidem & latitudo thoracis caliditatis indicium, niſi & hic quoque cerebrum plurimum obſtiterit, quoniam ei magna ſpinalis medulla reſpondet: tantæ uerò erunt uertebræ, quanta & ſpinalis medulla, quare & ſpina uniuerſa. Configitur uerò thorax ad eã ſpinæ partẽ quæ metaphrenon, id eſt, dorſum dicitur, tanquàm

ad car

ad carinā nauis: quare neceſſariò eius lon gitudo æquabitur dorſo, latitudo uerò erit pro uertebrarum ratione, quando ad proportionem earum craſsitudinis fuerit conſtitutus. cum uerò cordis caliditas ſuperans perflauerit, ac dilatauerit, in primo ſui ortu thoracē, erit eiuſdē caliditati proportione reſpondens. Quare cum caput paruum, thorax autē latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indiciū. Cum uerò magno exiſtente capite, paruus fuerit, propriiſsimum hoc erit cordis frigidioris ſignum. Si uerò capiti fuerit proportione reſpondens, tunc aliis ſignis de corde diſtingues, ex ipſius thoracis amplitudine nihil aſſumens.

SIGNA CORDIS FRIGIDI. CAP. XXX.

IN frigidiore uerò corde pulſus minores exiſtunt, quàm modo naturæ cōueniat: non tamen neceſſariò tardiores, uel rariores. Reſpiratio autē, ſi quidem tantò thorax minor extiterit, quantò cor frigidius, pulſibus erit proportionalis. Si uerò maior fuerit, quàm pro frigiditatis uehementia: non minorem tantum, ſed etiā tar diorem, & rariorem naturam oſtēdit. Tales autem timidi ſunt, & ſine audacia, &

ſegnes,

ſegnes,& nudum pilis habent pectus. De eius uerò paruitate diſtinguendum ut diximus prius. Eodé modo & de totius corporis caliditate.

SIGNA CORDIS SICCI. CAP. XXXI.

COr auté ſiccius pulſus efficit duriores,& iram non promptam quidem, ſed feram, & quæ non facilè ſedari queat: magnaq; ex parte uniuerſum corpus ſiccius exiſtit, niſi hepar obſtiterit.

SIGNA CORDIS HVMIDI. CAP. XXXII.

COrdis uerò humidioris ſigna, pulſus molles,& mores ad iram quidé procliues, ſed talem, quæ facile ſedari poſsit: & uniuerſum corpus humidius exiſtit, niſi hepar obſtiterit. Secundum uerò coniugationem qualitatum primarum uitioſę cordis temperaturæ ita ſe habent.

SIGNA CORDIS CALIDI, & ſicci. CAP. XXXIII.

CAlidi, & ſicci cordis, pulſus duri ſunt,& magni,& ueloces, & frequétes,& reſpirationes magnæ, & ueloces,& frequentes,& multò magis ad uelocitaté, ac frequentiã uergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Hi uerò præ cun-

ctis

ctis pectus habēt maxime hirsutū, & ilia. Ad actiones autem prompti sunt, & iracundi, & subiti, & mores tyrannicos habent ad furorem faciles, non facile uerò placabiles. De totius autem corporis temperatura, & thoracis amplitudine, his quę ante diximus proportionaliter est distinguendum.

SIGNA CORDIS CALIDI, & humidi.

CAP. XXXIIII.

SI uerò caliditas unà cū humiditate dominabitur, minus quidē his quos antea diximus, hi sunt hirsuti, ad actiones uerò nihilominus prompti, non tamen ferior est animus, sed ad iram procliuis tantummodo: pulsus uerò magni, ac molles, & ueloces, & frequētes existunt. Et respiratio, cum thorax cordi fuerit proportionalis, eandē pulsibus formam seruabit. Si uerò minor extiterit, tantò illis uelocior erit, & frequentior, quantò & thorax minor extiterit. Si autē multa facta fuerit euersio in temperatura, ac si hoc præsertim in humiditate cōtigerit, prętер ea quæ diximus, cōtingent etiā ex putredine morbi his qui in ipsis fuerint humoribus corruptis, ac putrefactis. Expirationes autem

maiores ſunt, ac ueلociores īſpirationib⁹, & ſubmiſsio arteriæ in pulſibus uelox.

SIGNA CORDIS HVMIDI, & frigidi. CAP. XXXV.

HVmidioris uerò, & frigidioris cordis, pulſus quidem molles, moribus autē nequaquā audaces, ſed timidi, & ſegnes exiſtunt. Tales etiā glabrum pectus habent, minimeq; iram retinēt, ſicuti & ad iram non admodum ſunt prompti. Quæ uerò ad thoracem, & uniuerſum attinent corpus, diſtinguere oportet, ſicuti ea quæ ante diximus.

SIGNA CORDIS FRIGIDI, & ſicci. CAP. XXXVI.

FRigidius uerò cor, & ſiccius, pulſus quidē duriores reddit, & paruos: reſpirationē autem, ſi quidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam, ſi uerò maior extiterit, raram ac tardam. Hi uerò præ omnibus minime ad iraſcendum prompti. Cum autē coacti fuerint iraſci quibuſdam, retinent iram. Habēt autem maxime omnium nudum pilis pectus. De paruitate autem thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate ſimiliter diſtinguendum. Vnum illud cōmune in hiſce omnibus memoria

moria repetẽtibus, quòd quæcunq; de moribus, siue nunc, siue quouis alio sermone explicata sunt ad tẽperaturæ cognitionẽ, non de optimis moribus, ac uitiosis, qui ex philosophia hominibus adueniunt, sed de insitis, ac naturalibus nos exposuisse.

SIGNA CALIDI HEPATIS. CAP. XXXVII.

HEpatis calidioris indicia, uenarum latitudo, *ruffa bilis abundantior, in consistenti uero ætate etiam atra: calidior ipsis sanguis, atque eadem ratione corpus uniuersum, nisi obstiterit cor. His uenter, & ilia hirsuta.

* ξανθὴ. flaua.

SIGNA HEPATIS FRIGIDI. CAP. XXXVIII.

FRigidioris uero, angustia uenarum, pituita abundãtior, sanguis frigidior, & totius corporis habitus, nisi à corde calefiat, uenter illis glaber est, atque ilia.

SIGNA HEPATIS SICCI. CAP. XXXIX.

SIccioris autem, sanguis quidem crassior, & minus abundans, uenæ duriores, & totius corporis habitus siccior.

SIGNA HVMIDI HEPATIS. CAP. XL.

HVmidioris autem, ſanguis quidem abundãtior, atq; humidior, uenę autem molliores, ita uero & uniuerſum corpus niſi partes ad cor attinẽtes obſtiterint.

SIGNA CALIDI ET SICCI hepatis. CAP. XLI.

CAlidioris uero ſimul, ac ſiccioris hepatis indicia, ilia plurimum hiſpida, ſanguis craſsior ſimul, ac ſiccior, ruffa bilis plurima eſt, conſiſtente autem ætate & atra, uenarum autem latitudo, & durities. Sic uerò & uniuerſum corpus ſe habet. Nã quæ ex corde caliditas originem habet, poteſt obtundere eam quæ ab hepate naſcitur frigiditatem, ſicuti & frigiditas caliditatẽ. Siccitatem uero nõ poteſt humidius cor ad cõtrarium habitum transferre. Media uero inter has quæ dictæ ſunt, eſt ea quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis ſiccitate ſuperatur, quàm ſiccitas ab humiditate: minus autem caliditate, adhuc uero multo minus frigiditate. Hæc enim inter omnes qualitates quæ ab hepate eueniũt, facilime uincitur. Liquet autem quòd cum in unũ conuenerint utriuſq; principii temperaturę, totum exquiſite ſecundum illas afficitur corpus. paulò uero inferius ipſius dicentur indicia.

SIG

SIGNA HEPATIS CALIDI, & humidi. CAP. XLII.

HVmidius autem, ac ſimul calidius hepar, minus quidem quàm calidius, & ſiccius ilia reddit hiſpida. Plurimum uero ſanguinis, & uenas amplas, habitumq; calidiorem, atq; humidiorē facit, niſi obſtiterit cor. Si uero amplius in ambabus qualitatibus à naturę modo recedat, à morbis qui ex putredine, ac * uitioſis humoribus fiunt, facilime capitur. Ahuc autem magis ſi plurimum augeatur humiditas, caliditas uerò non ita. Si autem contra, parum quidem humiditas creſcat, plurimum uerò caliditas, minime uitioſis humoribus laborant.

*κακοχυμοις

SIGNA HEPATIS HVMIdi, & frigidi. CAP. XLIII.

HVmidius autē, & frigidius hepar habet ilia glabra, ſanguinem uero ad pituitę naturam accedentem generat, cum uenarum anguſtia: ſic & reliquum afficit corpus, niſi à corde ad contrariam naturam transferatur.

SIGNA HEPATIS FRIGIdi, & ſicci. CAP. XLIIII.

FRigidius autẽ, & ſiccius hepar cum pauco ſanguine, & uenarum anguſtia efficit corpus, atque frigidius, & ilia glabra, niſi & hic cor dominetur.

SIGNA CALIDAE, FRIGIdæ, humidæ, & ſiccæ temperaturæ teſticulorum.

CAP. XLV.

TEmperatura uero teſticulorum, calida quidem * ad uenerem procliuis eſt, & maſculorum generatrix, & fœcunda, celerrimeq́; genitales partes obſepit pilis, ſimul autem & circumiacentes attingit partes. Frigidior uero contraria efficit. Et humida quidem multo & humido ſemine abundat. Sicca paucum, & modice craſſum generat ſemen.

* ἀφροδισιαστική. i. uenerea

SIGNA CALIDAE, ET ſiccæ temperaturæ teſticulorum.

CAP. XLVI.

CAlidior uero, ac ſiccior, & craſſum ſemen habet, & fœcundiſsima eſt, quæ celeriter ab initio protinus ad coitũ excitat animal. Sed & his genitales partes citiſsime hiſpidæ fiunt, atque omnes quæ circunſtãt ſupra quidem uſq; ad umbilicum, infra uero uſq; ad media femora. Petulca igitur eſt, & ad libidinem prona

na huiuſcemodi temperatura, ſtatim uero ſatiatur, & ſi cogatur, offenditur.

SIGNA CALIDAE, ET HVmidæ temperaturæ teſticulorum. CAP. XLVII.

SI autem caliditas humiditati coniũgatur, hirſuti quidẽ tales minus, plus uerò ſemine abundant: non tamen plus cæteris appetũt, ſed minori detrimento præter modum uenereis indulgent. quod ſi ſatis excreuerint & caliditas, & humiditas, non ſine detrimento à uenereis abſtinent.

SIGNA FRIGIDAE ET HVmidæ temperaturæ teſticulorum. CAP. XLVIII.

SI uero frigidiorẽ, & humidiorem temperaturã teſticuli habuerint, partes circũpoſitę glabrę ſunt, & tardè rẽueneream exercere incipiunt,* neq; proni ad actum huiuſcemodi ſunt. Aquoſum uero, & tenue ipſis eſt ſemẽ, & infœcundum, & fœminarum generatiuum. * οὐδ' ὁρμητικοί

SIGNA FRIGIDAE, ET ſiccæ temperaturæ teſticulorum. CAP. XLIX.

FRigidior uerò, & ſiccior temperatura ſimilis quidem in reliquis eſt ante dictæ. Craſſius uero in ipſa ſemen exiſtit,

atque omnino paucum.

DE HABITV TOTIVS CORporis. CAP. L.

TOtius autem corporis habitus diximus, & ſuperius quomodo & hepatis, & cordis naturam ſequantur, ei autem magis aſsimilantur, quòd unam aliquã ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellant. Totius uero corporis habitus in illis maxime dicitur partibus quę primę oculis ſubiiciũtur. ſunt uero hæ, muſculi, qui omnia ambiũt oſſa, carnes quædã compoſitę ex prima & ſimplici carne, & filis quibus innaſcũtur: propria enim muſculorũ ſubſtãtia his duobus cõſtat. quæ uero ad ipſos, uaſa pertingũt, ueluti riui quidam ſunt: qui non ſubſtantiam complent, ſed eis ſubminiſtrant, ut in uita permaneant. Dicentur igitur, & horum temperaturæ indicia, in bene temperata habitatione. Nam quæ male temperatę ſunt cutem permutãt ex ſeipſis formantes, & quædam ex indiciis corrumpunt: ita & in bene temperata regione, ſi quis ſe tempore æſtatis nudum ſoli expoſuerit, permutabit indicia quæ ex calore, & duritie, & mollitie ſumũtur. ſi uero quẽadmodum bonam temperiem obtinet locus,

cus, ita & ipſe bene temperato uictu uſus fuerit, ut qui neq; ſe plurimũ ſingulis diebus in ſole torrefaciat, neq; ſicuti pleriq; more puellarum cõtinue in umbra degat, hic certa atq; exquiſita temperaturę indicia præ ſe feret. tanquam igitur de hoc futuro ſermone nunc ad ipſum accedemus.

SIGNA MODERATAE TEMPERATURÆ. CAP. LI.

Moderatæ temperaturæ indicia ſecundum totum animalis habitum. Color quidem ex rubro, & albo commiſtus, capilli uerò flaui, & ut plurimum mediocriter criſpi. Carnoſitatis autẽ mediocritas in qualitate, & quantitate. Medium eſt enim exquiſite huiuſmodi corpus inter omnes exceſſus, ut qui ad ipſum dicantur, & cognoſcantur. nam & craſſum corpus ad hoc comparatũ dicitur craſſum, & tenue ad hoc eodẽ modo, & carnoſum, & macilentũ, & pingue, & durum, & molle, & hiſpidum, & glabrũ. nullius igitur horum mediocritas eſt. Sed qualis Polycleti regula ad ſummũ totius peruenit mediocritatis, adeò ut neque tangentibus molle uideatur, neq; durum, neque calidum, neque frigidum: inſpicientibus uero, neque hirſutum, neque glabrum, neq; craſ-

ſum, neque tenue, aut aliquem alium habens * exceſſum, uel defectum.

* ἀμετρίας

DE CORPORE CALIDIORE. CAP. LII.

QVęcunq; autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate,* & ſicccitate, hęc quantum ad carnoſum genus attinẽt (de hoc enim pręſens eſt ſermo) uidentur quidẽ tangentibus calidiora tantum quantum & eorũ temperatura calidiora. Tanto uero magis hirſuta ſunt, quanto & calidiora, & minus pinguedinis habent, colorem autem rubrum, & capillos nigros habent.

* ἢ.i. uel

SIGNA FRIGIDAE TEMPERATURAE. CAP. LIII.

FRigidioris autem temperaturæ indicia ſunt pilorum carentia, pinguedo, & frigiditas quę tangentibus obuiat. Color autem unà cum capillis ruffus. Et ubi frigiditas exceſſerit, liuidus quodammodo exiſtit, quem nõnulli medici colorem plumbeum appellant.

SIGNA SICCAE TEMPERATURAE. CAP. LIIII.

SIccior autem temperatura tanto* gracilior eſt, & durior bona temperatura, quanto maior eſt ſiccitas. In reliquis autem

* al's, ἰσχυροτέρα, fortior

tem eodem modo ſe habet.

SIGNA HVMIDAE TEMPE-
raturæ. CAP. LV.

ET humidior etiam in reliquis quidem eodem modo ſe habet, melius autem carnoſa, & mollior: & quidem ſecundum coniugationem qualitatum primarum, factæ intemperaturæ compoſitam habent indiciorum formam.

SIGNA CALIDAE ET SIC-
cæ temperaturæ. CAP. LVI.

CAlidior ſimul, ac ſiccior eſt hirſuta magis, ac calida, & dura exiſtit, & pinguedine caret, tenuisque eſt, & capillos nigros habet. Si uero multum in caliditate excedat, color quoque niger illi adeſt.

SIGNA CALIDAE ET HV-
midæ temperaturæ.
CAP. LVII.

CAlidior autem, & humidior temperatura mollior, & calidior, & carnoſior tanto eſt bona temperatura, quantum & utriſq; qualitatibus aucta fuerit. quod ſi plurimum augeatur, cito à putredinis corripitur morbis: quoniam & humorum uitio promptè laborat. Si uerò parum quidem humidior ſit, multo uerò calidi-

or, molliores quidem parum huiusmodi sunt his, qui bonam habēt temperaturam, & magis carnosi, non parū uero hirsutiores, & tangentibus non parum calidiores. nigri uero eis capilli, & caro pinguedine caret. Si uero paulo quidem calidior, multo uero humidior, mollis his caro est, & multa: & color cōmistus est ex albo, & rubro, & tangentibus paulò calidiores. Et ut summatim dicatur, in omnibus temperaturæ coniugationibus semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

SIGNA FRIGIDAE ET HUmidæ temperaturæ.

CAP. LVIII.

FRigidior autem, atque humidior temperatura, si parum quidem utraque augeatur pilis nuda est, & alba, & mollis, & crassa, & pinguis. Si uero magis excesserit, reliqua quidem sunt secūdū proportionem augmēti qualitatum, color autem unà cum capillis ruffus, quemadmodum si plurimū utraq; augeatur, liuidius. Si uero qualitatum augmētum fuerit inæquale eius quæ superexcesserit, indicia eminebunt.

SIGNA FRIGIDAE ET SICcæ temperaturæ. CAP. LIX.

SI autem frigiditas una cum ſiccitate æqualiter augeatur, natura durũ ac tenue, & glabrum corpus habent, & tangentibus frigidum: pinguedo tamen ipſis, & ſi graciles ſint, per carnes diſperſa. Capilli autem, & color frigiditatis modũ, ac proportionem ſequuntur. Vbi uerò calida, & ſicca temperatura in tempore decrementi, in frigidum, & ſiccum labitur habitum, tunc hi graciles fiunt, & duri, atque atra bilis in eis dominatur: & ob id nigri ſimul, & hirſuti euadunt. ubi igitur altera qualitas plurimum dominatur, altera uero parum à mediocritate recedit, ſuperabunt eius quę dominatur, exilia autem erunt altera qualitatis indicia. In omnibus uero de quibus ſupra diximus, & poſtea dicemus, commune eſt temperaturę indicium, ſi membrum facile frigeſit, uel frigiditatis, uel raritatis. Si uero non facile, uel caliditatis, uel denſitatis. Si uerò à deſiccãtibus offendatur, & aridũ, & ſiccum, & nõ facile mobile fiat, ſiccitatis quẽadmodum & ſi ab humectãtibus grauiter ſe habeat, humiditatis. Inſpicere autem oportet ſi eandem omnes muſculi ſeruant temperaturam, uel minime eandem, atque in omnibus animaduertere ſubiectorũ oſſium

quan

quãtitatem. Nonnunquã enim gracile uidetur membrum, cum tamen non ſit gracile, quoad muſculos attinet, ſed propter oſſium tenuitatem tale uidetur, ſic & craſſius quibuſdam plerunque apparet, nõ ob oſsium amplitudinem, ſed ob multitudinem carnis, quę uel aucta, uel comminuta, uel durior, aut mollior effecta, ſiccius, aut humidius membrum oſtẽdit. Pauca igitur, ac dura, ſiccius: multa autem, & mollis, humidius. Sic & intermedia ſpatia ſimilarium corporũ, uel plus, uel minus humidæ ſubſtantiæ in ſe ipſis continẽt, & uel craſſius, uel tenuius, uel humidius, uel ſiccius membrũ oſtendũt. Humidius quidem ubi ſubtilior, & plurima eſt humiditas, ſiccius uero ubi craſsior, ſimul, & minor. Ipſæ enim ſolidę corporis partes quę uerè ſolidę ſunt, ac primę, nullo modo poſſunt effici humidiores: at ſatis eſt, ſi quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autẽ in ipſis ſpatia, hac uel illa humiditate complere poſsibile. Hæc uero eſt propriũ partium ſimilarium alimentum, quod ex appoſitione fit, & non per uaſa attrahitur. Communis autẽ hæc ratio & omniũ partium exiſtit. Et iterum in ſalubrium, atq; inſalubrium cauſarũ doctrina repetetur:

nunc

nunc autem ea quæ ordine ſequuntur attingamus.

SIGNA SICCI VENTRICULI. CAP. LX.

VEntriculi* indicia, eius quidem qui natura ſiccior exiſtit, ſi celeriter ſitibundi fiant, & paucus eis ſufficiat potus, à plurimo autem aggrauentur, fluctuationibus infeſtentur, aut ſuperfluitet id quod abundat ipſis, & cibis delectantur ſiccioribus. *γαστρ

SIGNA HVMIDI VENTRICULI. CAP. LXI.

HVmidioris autem, ſi neque ſitibundi fiant, & ſuperabundans humidũ facilè tolerẽt, & cibis gaudeãt humidiorib9.

SIGNA CALIDI VENTRICULI. CAP. LXII.

CAlidior uerò natura uentriculus, melius quidem concoquit, quàm appetat: & multò magis quæcunq; dura ſunt, & non facilè alterationem ſuſcipiũt. nam quæ facilè alterantur in ipſo corrumpuntur, gaudetque calidis potibus, ac cibis: neque à frigidis ullam percipit noxam, ſi modicè ipſis utatur.

SIGNA FRIGIDI VENTRICULI. CAP. LXIII.

Fri

FRigidus uerò natura uentriculus, ad appetẽdum quidem plurimum uiget, ad concoquendum autem minime, tales præſertim cibos qui frigidi ſunt, & non facilè alterationem ſuſcipiunt. Cito itaq; in ipſo aceſcunt, atq; ideo aridis eructationibus talis uentriculus plurimum abũdat, & gaudet quidẽ frigidis, ſed facilè ab eorum uſu immodico offenditur, ita & ea quæ extrinſecus frigida occurſant, nequit tolerare, quemadmodum neq; calidus, calida. Malæ uerò temperaturæ quæ morbi ratione uentriculum occupant, hoc differunt ab his quæ naturales exiſtunt, quoniam contraria, non autem ſimilia appetunt, quemadmodum naturales.

DE MALIS TEMPERATVRIS in uentriculo coniugatis.

CAP. LXIIII.

MAlæ autem temperaturæ in uentriculo coniugatæ, ex compoſitione ſimplicium cognoſcuntur. Oportet autem eas quæ iam ſunt dictæ diligenter aduertere, eaſdem ab his quæ dicentur, diſtinguentes. Non ſolum enim uentriculus ſitibundos, & minimè ſitiẽtes facit, & frigidi, calidiúe potus appetẽtes, ſed ea quoq; *uiſcera quę in thorace ſunt, ut cor, & pulmo, ſed

* σπλάγχνα

ſed qui ob horum ſitiunt caliditatem plus inſpirant, & longius expirant, atq; æſtum in thorace ſentiunt, non ſicuti qui uentriculi ratione in iliis caliditatē patiuntur, & cum potauerint non ſtatim ſedatur ſitis, & magis cum frigidum hauſerint, quàm calidum nimis. Refrigerat autem eoſdem, & frigidi aëris inſpiratio, quæ nihil eos iuuat qui uentriculi ratione ſunt ſitibūdi, ita & hi qui contrario modo ſe habēt à frigida inſpiratione ſenſibilē ſentiūt affectum.

SIGNA PVLMONIS FRIgidi. CAP. LXV.

ET hoc maximum ſit frigidi pulmonis indicium. ut uerò frigidum inſpirantes manifeſte dolorem ſentiunt & frigiditatem, ita & caliditas eſt ipſis amica, ſed & pituitæ excrementa cum ſcreatu, & tuſſi expuunt.

SIGNA PVLMONIS SICCI. CAP. LXVI.

PVlmonis autem ſiccitates excrementis uacant, & pituita & uocem claram efficiūt, quemadmodum humiditates obſcuram reddunt, ac raucam: & cum uehementius, aut *accuratius loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa. *ὀξύτερον acutius.

DE VOCE. CAP. LXVII.

Non

NOn tamen ipſa uocis magnitudo à caliditate, ſicuti neq; paruitas à frigiditate ineſt, ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, & uehementiorem efflatum, paruitas uerò à cõtrariis aduenit cauſis. Quare neq; ſemper, neque primum, ſed ex accidenti, & ſolas naturales temperaturas, non autem aduentitias uocis magnitudo, aut paruitas ſequitur. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hęc cõſeqtur huiuſmodi uox. Idcirco contingit ex uoce de naturali tẽperatura ratiocinari.

DE LENI, ET ASPERA uoce. CAP. LXVIII.

NAm & lenis uox, arteriæ lenitatem conſequitur, ſicuti & aſperitatem. Lenitas igitur, arteriæ moderatam ſequitur temperaturam, aſperitas uerò ſiccitatem. Aſperitas etenim fit ab inæqualitate duri corporis: Arteriam uerò duram, ſimilarium partium ex quibus conſtat, ſiccitas: inæqualem uerò diſperſæ in eiſdem humiditatis defectus.*

*ἐργάζεται, efficit

DE VOCE ACVTA. CAP. LXIX.

EOdem modo, neq; acuta natura uox ſine anguſtia faucium, neque grauis

ſine

ſine latitudine fieri poteſt. Anguſtia igitur ab inſita, atque innata naſcitur frigiditate, latitudo autem à caliditate. Differentiis igitur naturalium uocum hæ quæ ex affectu aliquo fiunt, ſunt proportionales, quæ & ipſæ indicia ſunt cauſarum à quibus oriuntur, de quibus in libris de uoce ſufficienter diſtinxi. Reliquæ uerò partes animalis interiores exilia habēt temperaturæ indicia. Tentandū tamen ea ex iuuātibus, atq; nocentibus agnoſcere: ac præterea naturalium potentiarum operationes. Dictū uerò eſt in tertio de cauſis accidentium, quòd cuiuſque potentiæ uirtus, & uitium temperatura principalis exiſtat. Temperaturarum itaq; indicia iam explanauimus.

SIGNA NATVRAE INSTRVmentariæ. CAP. LXX.

CIrca magnitudinem uerò uel formationem, uel numerū, uel ſitum, quæcunque quidem ſenſibus ſubiiciūtur errata, cognitu facilima ſunt: quæ autem ſenſu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilem, quædam uerò facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura, & cerebri ſimul, in propatulo ſunt, & de his antea diximus: ſic & quæ thoracis ſunt, & quæcunque ad ſcapulas, & humeros

ros, uel brachia, uel cubitos, uel extremas manus, uel coxas, uel femora, uel tibias, uel pedes attinent non est difficile agnoscere, siue secundum formationem, siue secundum magnitudinem, ex his aliquid nõ rectè se habeat, siue secundum numerum, uel partium, ex quibus constant composituram, singularum etiam operationis detrimenta facilè patent. Quæ autem intra corpus sunt non omnia possunt agnosci.

DE VENTRICVLO. CAP. LXXI.

CViusdam enim uentriculum adeò paruum ac rotundum, ac pronum secundum ilia situm habentem inspexi, ut manifeste ex circunscriptione propria, & uidentibus, & tangentibus appareret.

DE VESICA. CAP. LXXII.

SIc & cuiusdam uesicam cõtigit intueri, ita* expositam, ac paruam, ut si quãdo urinam tardius excerneret, tumor quidem circunscriptus manifeste cerneretur. Non tamen aliud ex interioribus quidquam mihi unquam manifestum præbuit indicium. Tentare autem oportet quàm maxime fieri potest uirtutem ipsorum ac uitium: & si non certissima scientia, artificiosa saltem coniectura comprehendere,

*ἐγκειμένην incũbentẽ repositamq́, molestã.

uelu

ueluti,exempli gratia, in hepate.

DE HEPATE. CAP. LXXIII.

VIdi enim aliquos, & quidem quàm plures quibus uenæ erant angustæ, & totum corpus colore priuatum, quòd si plusculum cibi assumpsissent qui præsertim flatibus excitandis aptus esset, & crassus, ac tenax: nonnulli quidem ueluti pondus quoddam insidens atque suspensum in profundo dextræ iliorum partis sentiebant: nonnulli uerò quandam cum dolore tentionem. In his quidem uerisimile est hepar esse paruum, atque angustos meatus habere.

DE HOMINE PITVITOSO, uomente bilem.

CAP. LXXIIII.

ALterum uidi cuius totus habitus pituitam præ se ferebat, quotidie tamẽ bilem * ruffam euomebat. Censui igitur inspicienda alui excrementa, in quibus mi nimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi cum meatum qui biliosum egurgitat humorem non minimam eiusdem partem ad imum uentriculi locum, quem Greci pyloron id est ostiarium uocant, effundere, ut in quibus dam apparet animalibus. Ex quibus id constat,

* ὠχρὰν pallidam

quòd plurimum ad eorum quæ latent ſenſum, confert cognitionem, ea quæ ex ſectionis inſpectione habetur peritia, & operationum, atque utilitatum inuentio. Quicunq; igitur facultatem dignoſcendi huiuſcemodi corpora quæ ita lapſa ſunt conſequi cupit: oportet ipſum*in ſectionibus, ac in operationum, atque utilitatum inuentionibus exercitari. Scripſimus uerò de omnibus ſeorſum in tractatibus aliis, de quibus in fine libri omnino propoſuimus facere mentionem: ut diſcendi cupidi intelligant quæcunq; diſcere optauerint, ex quonam poſsint haurire tractatu, ſed tamen de hiſce ſatis.

*ἐν ταῖς ἀνατομαῖς.

QVOMODO COGNOSCANtur corpora ægrotantia.

CAP. LXXV.

QVæcunque uerò ut nunc inſalubria ſunt, hoc eſt quę iam ægritudinem patiuntur, dignoſcere & hæc ipſa oportet. Quæ quidem ſubiiciuntur ſenſui, ex eorum quæ ipſis inſunt, ſecundum naturam permutatione, in magnitudine, colore, figura, & numero, & ſitu, & ea quæ eſt ſecundum duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem differentia. Quæ autem uiſum effugiunt, ut ſummatim dicam

cam, ex operationum læſionibus, aut his quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibuſdam, uel omnibus.

SIGNA CEREBRI PATIENTIS. CAP. LXXVI.

PArticulatim autem quæ quidem ſunt in cerebro ægræ diſpoſitiones, aut dementiæ ſpeciebus, aut ſenſuum, uel imaginationum læſionibus, aut actuum qui ſecũdum electionem fiunt, aut ex his quæ excernuntur, per palatum, uel nares, uel aures, aut horum, qui ei dolores eueniunt differentiis.

SIGNA CORDIS PATIENTIS. CAP. LXXVII.

QVæ uerò in corde fiunt, ex difficilis anhelitus ſpeciebus, & tremulis motibus qui ipſi contingunt, ex pulſibus quoq; eius, atq; arteriarũ, *ab excãdeſcẽdi celeritate, aut tarditate, à febribus, & refrigerationibus & in colore differentiis, ac eis qui ipſi adueniunt doloribus.

*ὀξυθυμίας τὲ καὶ ἀθυμίας

SIGNA HEPATIS PATIENTIS. CAP. LXXVIII.

QVæ autem in hepate, ex defectu humorum, atque abundantia, & ad id quod præter naturam euerſione, & colore

malo, ac præterea ex permutatione naturę in his quæ ad alimenti diductionem, aut superfluitatum attinent excretionem: sed & ex grauitatibus, & tumoribus & doloribus, non modò his qui in eo ortum habent, uerũ & illis qui compatiendi ratione proueniunt, quemadmodum in aliqua, uel spiritus grauis, uel tussis specie.

SIGNA VENTRICVLI PAtientis. CAP. LXXIX.

SIc & uẽtriculi affectus agnoscitur ubi in cõcoctione, & appetitu humidi, uel sicci aliméti, uel superfluitatũ excretione delinquitur. Ita etiam, ex singultibus, eructuationibus, nauseis, uomitibus, & ipsis eorum quæ euomuntur speciebus.

SIGNA THORACIS PATIentis. CAP. LXXX.

ITa & thoracis agnoscuntur affectus ex spirandi difficultatibus, tussibus, & doloribus qui in ipso fiunt, & ex eorum quæ expuuntur differentia. Sic & asperæ arteriæ ægritudines, difficiles anhelitus, & dolor in loco, & quæ expuuntur, & uocis offensiones ostendunt. Secundum uerò eandem proportionẽ, & in aliis omnibus accidit partibus: nã ex tumore, dolore, & operationũ læsione, & excrementorum

rum differentia, ſumentur indicia. Excreſcentiæ autẽ non naturales, in inflammationibus, durisq́;, ac laxis tumoribus, ſunt explorandæ. Dolor autẽ quemcunq; obſederit locũ, aut cõtinuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendit. Soluitur autẽ continuitas inciſione, exeſione, tractione, & tentione. Alteratur uerò ſubſtantia à caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate. Læditur autem operatio tripliciter, aut quia uix, aut quia uitioſe, aut quia nullo modo fit.

DE DIFFERENTIA EORVM quæ excernuntur.

CAP. LXXXI.

QVæcunq; autem excernũtur, nonnulla quidem ſunt ueluti partes patientium locorum: nõnulla uerò tanquàm excrementa. Quæ uerò in ipſis naturaliter continentur, ſingula propriam facient indicationem. Dictum eſt autem plenius de hiſce omnib⁹ in tractatu de *membris paſſis, quem nullus ante nos, aut in artem redegit, aut ad abſolutam perfectionẽ deduxit: quẽadmodum & in omnibus aliis euenit, quibus initium quidem aliquod ab antiquis eſt datum, non tamen abſolutum eſt opus. Aegrotantium itaque corporum

*Locis affectis.

ex tractatu illo indicia ſunt ſumenda. eorum autẽ qui in ęgritudinem lapſuri ſunt, & qui ſanitati reſtituendi, præſens doctrina complectitur.

SIGNA FVTVRAE AEGRItudinis. CAP. LXXXII.

EOrum igitur indicia quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea quæ ſanis, & quæ ægrotantibus eueniunt. ſi quidem ſanis omnia ſecundum naturam inſunt, præter naturam uerò ægrotantibus. In confinio autem horum ea quæ ſunt corporum neutrorum indicia, quorum nõnulla quidem ſunt ex eorum genere quæ ſecũdum naturam, ſed uel qualitatibus, uel quantitatibus, uel temporibus permutata. quædam autem ex his quæ præter naturam, ac minora his quæ ægritudinibus adſunt. Atq; idcirco hæ quidem corporum diſpoſitiones, quæ in ægritudinem caſura monſtraui, ſunt ex neutrorum genere, atq; una ea quæ ipſa indicant ſigna. Primo enim hæc ſanitatem oſtendunt, ſecundo autem ægritudinem: & fiunt eadem ſigna ſecundum ad aliquid habitudinem, neutra, & inſalubria. quæ quidem præſentem diſpoſitionem oſtendũt, neutra: quæ uerò futur

futuram præmonſtrant, inſalubria. Eadem uerò ratione, & quæcunque ægrotantibus ſigna ſalutaria apparent, dicētur quidem ſalubria, quia futuram ſanitatem oſtendunt. dicentur etiam ægra quatenus præſentem oſtendunt ægritudinem. Neq; in ambiguo eſt, quòd quę ſunt utrorumq; indicatiua, neutra dicentur, ſecundum unum quoddam neutri uocabuli ſignificatum. Neque uero mirari oportet eadem ſigna tres in diuerſis habitudinibus ſeruare rationes, quæ & ſalubria, & ęgra, & neutra dicuntur. Secundum uerò alterũ ſignificatum, quæcunque his qui à morbo referuntur inſunt, ſigna neutra appellamus. neq; in alio ſignificato accipiunt ea quæ ſenibus inſunt, hæc quidem omnia pluribus, & conceptibus, & rationibus ſubiiciuntur. Quæcunque uerò his qui integra ſanitate fruuntur, inter ſalubria tantũmodo computantur. Et quæcunque ægrotantibus inſunt, neque futuram prænuntiant ſanitatem, ſoli & hæc ægrorum conceptui ſubiiciũtur. Sed de his quidem poſtea dicetur: nunc quæ futurã præmonſtrãt ægritudinem prius exequamur. Cum uerò ſit eorum differentia duplex, prius ea pertractemus quæ quantitatibus, qualita-

tibus,temporibus,nõ autem propriis ſpeciebus ab eo,quod ſecundum naturã, euariant, ueluti ciborum appetentia intenta, uel diſſoluta, aut quæ non ſeruet tempus conſuetum,aut quæ ad edulia non uſitata feratur, aut excretiones cibi ſuperfluitatum quæ aut pauciores,aut plures,aut humidiores,aut duriores exiſtant.Sic humidorum excrementorum , uel defectus, uel ſuperabundantia præter conſuetudinem naturalem,aut in colore,aut in conſiſtentia uarietas aliqua, aut in tempore excretionis , & uigiliæ plures, ac ſomnus , aut non conſueto tempore.Eodem modo potus pluris,aut paucioris , calidi, aut frigidi , inſolens appetitus , ſicuti & circa rerum uenerearum uſum immodica , aut intempeſtiua concupiſcentia , & plures, aut pauciores ſudores his qui ſint opportuni, & ad motus torpor , aut ſi moueri tentauerint grauitas , aut uehemens * exolutio, menſtruorum * occultatio,uel immodica,aut diminuta euacuatio. Sic & quæ * per ora uenarum, Græci hæmorrhoidas appellant ,ſit ſanguinis effuſio,* ſed non eadem quæ prius in cibo , potuq; uoluptas, ſunt futuræ indicia ægritudinis:hebetudoq; * animi non natutalis,aut obliuio

* ἔκλυσις,
* Suppreſsio,
* Per mariſcas,
* καὶ
* τῆς διανοίας,

uio quædam inconſueta, aut ſomni qui pluribus imaginationibus abundãt, quàm prius auditus, & odoratus uiſúsue hebetiores, aut turbulentiores. Et, ut ſimpliciter dicam, quæcunque ſecundum naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc uerò comminuta, hæc uerò temporibus quibuſdã, aut qualitatibus immutata. Siquidem & ipſius corporis moles, aut maior, aut minor, aut magis alba, aut magis rubra, quemadmodũ liuidior, aut nigrior, ructusq́; , ac ſternutamenta, & flatus plures, aut pauciores his qui ſecundum naturam: ſic & quæcunque per nares, uel palatum, uel aures, per quos meatus cerebrũ expurgatur, uel temporibus, uel quantitatibus, uel qualitatibus immutata. Hæc igitur omnia ex genere eorum ſunt, quæ ſecundum naturam morſus quoq; uẽtris, uel in ore uentriculi, uel in aliquo inteſtinorũ, aut cum aluus ſubducitur, aut cum uomitus excitatur, aut cum mingitur, ſiue aliquis alius * dolor moderatus ex genere quidem exiſtit eorum quæ præter naturam: non tamen qui ita ſe habent, ægrotare dicuntur, ſicuti neq; qui capite grauantur, aut dolent, cum nondum in conſuetis impediuntur operationibus. Hic enim in huiuſc

*πόνος

huiuſcemodi diſpoſitionib⁹ terminus eſt. Atq; idcirco in eo quod ad aliquid, eandem diſpoſitionem ægram atq; neutram appellabimus. Nam pro uigore potentiæ quæ uel facile ſuſtinet, uel uincitur, unaquæque ex his, quas antea diximus, uel morbus eſt, uel neutra diſpoſitio: ſic & quæcunq; in ſenſibus, nõ in eo quod magis, aut minus inuicem differunt, ſed eo ꝙ toto genere ſunt præter naturam. Et hæc ſunt ſigna morborum, donec modica fuerint, & nondum hominẽ à conſuetis operibus ſufficiunt amouere. talia uerò ſunt in guſtu quidẽ, cum uel ſalſæ, uel amaræ, aut alicuius alterius qualitatis * ſapor nobis indicatur, ſiue in omnibus quæ bibuntur, aut manducantur, aut pręter quòd aliquid aſſumatur, ſaliua ipſa talis ſentiatur, In odoratu autẽ quando alicuius unius qualitatis ſenſum habemus, nullo odore pręſente, aut quũ plura & differẽtia naribus admouemus, omnia ueluti ſimilia ſentimus. Sæpius uerò nihil ſentim⁹, aut aliquid fœtens, etiã ſi nihil adſit quod fœteat. Quãtum uerò ad auditũ, ſoni, et ſtrepitus ad id quod pręter naturã pertinent. Quẽadmodum in uiſu quæcunq; ante oculos apparere creduntur nigra, & atra, & cęrulea, & ruffa,

* ἔμφασις. id eſt, expreſsio.

ruffa, & rubra, & nonnulla rotunda, nonnulla autẽ oblonga, quædã gracilia, quædam craſſa oculis prætendi uidentur. In ſenſu autem tactus quum inæqualitas aliqua, uel ſpiſsitudo, uel grauitas, uel tentio, uel torpida, uel ulceroſa diſpoſitio in toto corporis habitu ſentitur, ſic & in ſingulis partibus, uel tentio, uel compreſsio, uel morſus, uel grauitas, quando modicæ fuerint, ac minime firmæ, neutrã quidem diſpoſitionem adeſſe demonſtrant, futuram uerò ægritudinem prænuntiant.

SIGNA CORPORVM AEGROtantium, CAP. LXXXIII.

AT quæ iam in ægrotãtibus ſigna uidentur, ex quibus nonnulla ſalutem, nonnulla mortẽ portendunt: prima quidẽ ſalubria, altera uerò genere quidem ęgra, ſecundum ſpeciem autem pernicioſa dicuntur. Sumuntur autem, ut uniuerſaliter dicamus, ex operationũ uirtute, ac uitiis: ſecundum partẽ uerò ex particulariũ operationibus, quarũ genera antea diximus. Primum quidem eorũ quæ principia exiſtunt, ſecundum uerò, illorum quæ à principiis ortum habẽt, & tertium eorum quæ ex ſeipſis gubernantur, à principiis autem quaſdam deriuationes habent. quartum

tum ſiquidem genus eorum quæ tunc diximus, ex ſe quidẽ ad aliquid prænoſcendum inutile eſt: ſecundum accidens autẽ, & ex his aliquando precognitiones erũt, quemadmodum, & ex excrementis: * ex his quidem * compatiendi ratione: ex excrementis autem quoniam coctionis, & incoctionis ſigna continent. Quare fieri non poteſt quin omnino ſignificent, aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem ſigna dicentur, natura ſuperante: inſalubria uerò ſuperata, neutra autẽ quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifeſtam indicant coctionem ex ſalubribus ſunt: ſicut quæ cruditatem, ægra: quæ uero neque coctionem, neque cruditatem * oſtendunt, ex neutrorum ſunt natura. Sunt uerò & neutra quæcunq; nunc quidem hoc, nunc uerò contrarium ſignificant, ueluti digiti denigrati. Talia ſunt etiam critica, id eſt, decretoria * accidentia, de quibus omnibus in libris de criſibus dictum eſt: ſicuti etiam de his quæ ad unamquanq; attinent operationem, in his libris in quibus * de cauſis accidentium agitur. Quare omnem horũ ſingulorũ materiam ex eiſdem libris colligere oportet.

Ego

* διὰ πάν- τως, id eſt, omnino.

* συμπά- θειας. id eſt, cõdolentiæ.

* ἐναργῶς id eſt, manifeſte.

* συμπτώ- ματα,

* περὶ συμπτω- μάτων αἰτιῶν.

Ego uerò prolixitati parcens, hic sermoni de signis finem faciam, trāsgrediar autem ad illum qui de causis.

DE CAVSIS SALVBRIBVS, insalubribus, ac neutris.

CAP. LXXXIIII.

Voniam uerò & harū hæ quidem salubres, hæ autem insalubres, hæ uero neutræ, primum de causis salubribus erit sermo. Quia uerò, & harū nonnullæ quidē conseruatrices, nonnullæ uerò effectrices sanitatis, sunt autem & tempore, & dignitate priores *cōseruatrices, incipiendum est à cōseruatricibus. Quū igitur nō unum tantū sit sanum corpus, sed plura, ut supra diffiniuimus, in eorū singulis propria erit causa conseruatrix. Siquidem omnis causa in eo quod ad aliquid existit. Hic igitur denuo sumendum initium ab optima corporis constitutione, ac quæ ei salubria sint considerandum. Eorū autem inuentionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile, atq; inalterabile esset corpus, semper optima cōstitutio perduraret, neque artis pręsidio indigeret. Quoniam uerò alteratur, corrumpitur, & uertitur, neq; eūdem seruat prioris status tenorem,

* Effectrices,

ea ratione auxilium desyderat.

QVOT MODIS NOSTRVM corpus alteretur.

CAP. LXXXV.

SEcundũ quot igitur alteratur modos, tot auxiliorum, hoc est causarum conseruatricum genera habebit, quas ex his quæ dicta sunt liquet esse ex correctiuarum genere. Sed quia paulatim correctiones faciunt, antequàm omnis ingruat noxa: nõ præseruãtes à futuro malo, sed præsentis status conseruatrices medici appellant. Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem necessario, à quibusdam uerò nõ necessario. Dico autẽ necessario, quæ nulla est euitandi ratio: nõ necessario autem reliqua. nam aërem quidem nos ambientem semper * attingere, comedereq;, ac bibere, & uigilare, & dormire est necessarium. Ensibus autem, & * exitialibus feris obuiare, non necessarium. Quare circa primũ causarum genus uersatur ars corporis conseruatrix, circa secundũ autem minime. Quot igitur numero sint ea quæ ex necessitate corpus alterant distinguentes, proprium in singulis eorum, causarum salubrium genus inueniemus. Inest igitur unũ quidem ex ambientis aëris adhæsu:

* τῷ περιέχοντι ὁμιλεῖν.
* θηρίοις.

hæſu: alterum uero ex motu, & quiete, & totius corporis, & partium ſingularum: tertium ex ſomno, & uigilia: quartum ex his quæ aſſumuntur: quintum ex his quæ excernuntur, & retinentur: ſextum ex animæ affectibus. ex his enim neceſſe eſt aliquo modo affici corpus. Ab aëre quidem ambiente, quia aut caleſit, aut frigeſit, aut exiccatur, aut humectatur, uel ſecundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur ſubſtantia. Ex motu uero, & quiete, cum utraque modum exceſſerint, aut calefactum, aut refrigeratum, aut humectatũ, aut exiccatum, uel aliquid ſecundum horum patiens cõiugationem. Sic & ex ſomno, & uigilia ipſum pati eſt neceſſariũ, ſecũdum eandẽ rationem, & ex animę affectibus. Ex his quę aſſumuntur, aut excernuntur, aut retinentur, hęc ſiquidem omnia partim quidem euidenter, partim uerò per alias cauſas medias alterant corpus, & ſanitatem corrumpunt. & de horum ſingulis ſeorſum ſcripſimus in tractatu qui de ſalubribus inſcribitur. Omnia igitur nunc dicta genera materiæ quædam ſunt ſalubrium cauſarum. At uſu opportuno adhibito cauſæ fiunt conſeruatrices, atque ſalubres: ſed ubi à modo deli-

querint, insalubres redduntur. Vnde etiam liquet ex his non alias preter has, aut salubres, aut insalubres à nobis existimari oportere, at easdem potius quandoque quidem salubres, quandoque uero insalubres, in eo quod ad aliquid esse. Nam ubi motum corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, otium autem insalubre. quũ uerò eget quiete, otiũ quidẽ salubre, exercitatio autem insalubris. Eodem modo de cibis, & potibus, & de aliis omnibus statuẽdum. Horum enim singula quando, ut necessitas corporis exigit, cum mẽsura, ac qualitate opportuna adhibentur, salubria fiũt, at cum citra omnem necessitatem, ac preter modum afferuntur, insalubria. Atq; hæ duæ sunt circa salubre & insalubre intentiones, rei scilicet quæ adhibetur qualitas, ac quãtitas. Neq; enim est rationi cõsentaneum, etiam temporis occasionẽ, quę in his quę dicta sunt continetur, ueluti tertium aliquod ab eisdem diuersum, introducere. Si enim tali, & tãta re allata egeat corpus, nemini dubium quinetiam in tempore opportuno afferatur occasio. Siquidem * temporis inde ortum habet, quoniam fluxibile, ac facile mutabile est mortale corpus, ac pro transmutationis modo aliis

* Occasionis

do aliis alio tempore, eget auxiliis. Quare non eſt tertium aliquod præter ea quæ dicta ſunt,* tempus. Sæpius autem eo tan quam tertio quodam ob eam quam diximus cauſam ad docendum uti conſueuimus. Quoniã uerò in his ipſis intentionibus, & alię cauſę ſalubres, & id quod propoſitum eſt genus continetur, rurſus eaſdẽ repetamus. Optimæ igitur corporis conſtitutioni cum circũfuſus aër fuerit in temperie poſitus, earum rerum de quibus nuper diximus, quietis ſcilicet ac motus, ſomni, uigilię, et eorum quę aſſumuntur, atque excernuntur, quãtitas moderata conueniet. Cum uero aër à temperie receſſerit, tãtum à mediocritate euariare oportet, quãtus fuerit ab optima temperãtia receſſus. Hi uerò ſunt mediocritatis * termini, in aëre quidem ambiẽte,* ut neq; horreat propter frigus, neq; ſudet propter æſtũ. In exercitiis autẽ cum primum* laſſari cœperit corpus, cõfeſtim quieſcere. In cibis autem coctionis perfectio, & excrementorũ modus, in quali quãtoq; cõueniens, ęqualis uero in his quodammodo eſt coctioni appetitus: quare neque præſide egent, qui ſingulorum quæ aſſumuntur quantitatem* metiatur. Optima ſiquidẽ natura, quãtum

*καιρὸς.i. occaſio

*ὁκόσοι

*ὥς μήτε φρίττῃ διὰ κρύος .i. ut neque ob frigus inhorreſcas neque ſudes ꝓpter æſtum

*πονεῖν

appetit, tantum etiam cōcoquit. Sic & ſomno modum ipſa natura præfinit, his qui optimã corporis conſtitutionem ſunt ſortiti: & tunc à ſomno excitantur, cum corpus ampliori quiete non eget. Cumq; talē uictus rationem adhibuerint, nullum eſt in eorum excrementis delictum, quæ uel per uentrem, uel per urinæ meatus, uel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidem ex modo eorum quę aſſumuntur temperantur, totũ uerò corpus ſalubriter perflari facit exercitii uſus moderatus. Liquet autem ab ipſis caueri oportere, omnes animi immodicos affectus, uidelicet, iræ, triſtitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hæc enim alterant, atque à naturali ſtatu corpus auertunt.

DE VENEREIS.

CAP. LXXXVI.

VEnereorum uerò, iuxta Epicuri ſententiam, nullus eſt uſus ſalubris. Re uera autē confert, ſi tantũ interualli in eorum uſu adhibeatur, ut neq; reſolutio aliqua ſentiatur, & ipſe ſe ipſo homo quodã modo leuior factus, ac melius ſpirare uideatur. Tempus uero ad utēdum opportunum, cum in exceſſuum omnium mediocritate corpus fuerit conſtitutum: cum ſcilicet

licet neque ſupra modum plenum, neque uacuum extiterit, aut in calore, aut frigore, aut ſiccitate, aut humiditate exceſſerit corpus. quòd ſi aberrare contigerit: paruus ſit error. Melius autē illi calefacto magis, quàm infrigidato: & pleno, quàm uacuo: & humecto potius corpore, quàm exiccato uti uenereis. Horū autē ſingulorum quę dicta ſunt, qualitas in optima corporis conſtitutione eſt eligenda. exercitii quidē in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur, ita ut non aliæ quidem ultra modum fatigentur, aliæ uerò citra. cibi autem & potus optimam habeant temperiem. Sunt enim naturæ conuenientiores quæ optima fuerint prædita temperatura. Eadem in reliquis etiā eſt ratio adhibenda. At ſi quod ab optima conſtitutione defecerit corpus, non autem uehementer, & hæ quę ipſius ſanitatem cauſæ conſeruant, proportione mutabuntur. Sed cum multa ſint huiuſcemodi corpora, per ſingula genera ſeorſum dicendum. Quod igitur in temperatura euariat, inſtrumentariarum autem partium ſeruat commoderationem, duplicem habet ſalubrium cauſarum formam: alteram quidem earum quæ ipſius conſeruant tempe-

raturam, alteram uerò eam, quæ ad optimam transferunt. Quæ itaque ipsius temperaturam conseruant, tantũ à causis optimę temperatæ naturæ distabunt quantum & totius corporis temperatura ab illa euariabit. Calidiora siquidẽ corpora calidioris uictus rationem exposcunt. Frigidiora autem frigidioris, & ficciora ficcioris, & humidiora humidioris, ac secũdum coniugationem calidiora, ac ficciora calidioris, ac ficcioris, eadẽ in reliquis etiã coniugationibus proportione seruata. Rectè siquidẽ causarũ utetur materia, qui naturales earum potẽtias agnouerit, ueluti quòd motus, defectus alimenti, uigiliæ excretio, & omnes animi affectus corpus exiccant, at quæ his contraria existunt, humectãt. Ita uerò & calefacientia, & refrigerãtia uitæ instituta, & ciborũ, ac potuũ, atq; ut simpliciter dicam, omniũ, quæ corpori afferũtur, materias quis noscẽs, atq; potentias, salubribus utetur causis, similia similibus afferẽdo: siquidem eius propositum fuerit in eodem in quo acceperit, corporis seruare temperaturam. Quòd si permutare, atque ad melius traducere statuerit, alterum est hic salubrium causarum genus, his quidem quas nuper diximus contrarium:

rium: æqualiter uerò declinans ad alteram partem, à bene temperatis & mediis, quæ optimis cõuenire naturis dicebamus. Calidior ſiquidem, ac ſiccior temperatura, à calidioris, ac ſiccioris uictus ratione ad exactiſsimum bonę temperaturę habitum minime trãsfertur. At talium erit uſus neceſſarius, quæ tãtum eis, quæ bene temperata exiſtunt, frigidiora ſint, atque humidiora, quãtum & natura naturã in caliditate, & ſiccitate ſuperabat. nam tale cauſarum genus naturales corrigit intemperantias, alterum uerò de quo ſupra diximus temperaturam conſeruat. Eſt autem utriuſque uiciſsim apud medicos uſus neceſſarius. nam cum plurimum ſuppetit otii, corrigere oportet, ac ſenſim ad meliora transferre. Neque enim natura patitur eas quæ ſubito fiunt alterationes: hominem autem neceſſariis occupationibus diſtrictum, in eodem præſtat habitu conſeruare. Quo pacto igitur & hoc ipſum primum cauſarum genus conſeruatiuum appellamus? nam forte magis alteratiuum, & curatiuum & naturalium defectuũ correctiuum uocare conueniat. Quoniam ad uniuerſum ſanitatis genus referentes, non ad eas quæ ſecundum ſpeciem differen-

tias quæcunq; ſanos conſeruãt, conſeruatiua omnia uocamus : ſiue præter id quòd ſanitatem conſeruant ad melius totam, traducant temperaturam, ſiue priſtinum tantummodo habitum tueantur : at quæ deteriorem ſtatum efficiũt, inſalubria. Quæcunque igitur ſimilem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, eadem egent * procuratione: quæ uero diſsimilem, diſsimili. Nam fieri poteſt ut uentriculus frigidior ſit quàm oporteat, caput uerò calidius, atq; utrunq; propriis egeat auxiliis, ac ratione eadẽ ſingulæ aliæ partes cum fuerint aut præter modum humidiores, aut ſicciores, aut calidiores, aut frigidiores, ſuæ intemperiei uictum exigunt accommodatum. Neque igitur modo eodem omnes tales corporis partes exercebimus, neque æqualiter humectabimus, aut exiccabimus, aut tale aliud quidpiam agemus. Plenius uerò de his diximus uolumine illo, quod de ſalubribus inſcribitur.

* ἐπιμέλεια, i. cura:

DE CAVSIS SALVBRIBVS partium inſtrumentariarum.

CAP. LXXXVII.

INſtrumẽtariarum autẽ partium cauſæ ſalubres, quemadmodũ & hic ab optima

ma conſtitutione delinquitur, ita & inuicem diſtabunt. Aliꝫ enim ſunt ſalubres erroribus qui in formatione conſiſtunt, alia his qui in magnitudine, uel numero, uel poſitu. In formatione igitur plures contingunt errores: nam & figura partis, & ſi qua in ea cauitas eſt ſecundum naturam, uel meatus, uel orificium, uel aſperitas, uel lęuitas, quãdo à naturali mediocritate receſſerit. Si quidem parum hoc patiantur, ſalubrium corporum retinent appellationem: ſi uerò amplius, inſalubriũ. Quòd ſi tantus fuerit receſſus, ut operationi afferat detrimẽtum, iam ægrotare dicẽtur. Secundum quantitatem autem exceſſus, atq; defectus ad eaſdẽ ducit differẽtias. In numero uerò, ſiue una, ſiue plures quæcunq; ex ſimilaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut ſuperabundent. Ex hoc genere etiam ſunt quæcunq; in nobis ſubſtantiæ præter naturam conſiſtunt. Reliquum eſt aliud genus, quod ad ſitũ cuiuſlibet ſimplicis attinet partis, in quo & ipſo quatuor ſunt omnes differẽtiæ. prima quidem quæ optima exiſtit: ſecũda uero quę parũ euariat, atque ideo ſalubre adhuc efficit corpus: & tertia qùæ inſalubre, quando amplius à modo receſſerit: & quarta quæ

iam ægrum receſſu plurimo reddit. Quæcunque igitur partes in figura delinquunt, ueluti quæ * blæſæ, uaræ, & obliquæ appellantur: hæ quum nuper natus & adhuc tenellus eſt, formatione, atq; alligatione, ad naturalem traducuntur habitum. quòd ſi iam aucto infante ad duritiam peruenerint, emendari nõ poſſunt. Sic errores quidem qui ad cauitatem attinẽt, cum adhuc augeri perſeuerant, correctionem admittũt: cum autem iam ad ultimum peruenerint, nullus eſt remedio locus. Cauitates igitur, quiete, atq; alligatione paruæ reddũtur: magnæ uerò partiũ operatione, & ſpiritus retentione: ſic & quęcunq; foramina oraq;. Et quidem quæ naturalem magnitudinem partes exuperãt, quiete, & accommoda alligatione minores reddũtur, augentur autem & naturali motu, & frictione moderata, & quibuſcũq; aliis plus ſanguinis attrahere natura aptis. Deficientes uero partes quæcunq; ex ſanguine ortum habuerint, corrigi quidem nõ eſt impoſsibile. quæ autẽ ex ſemine, propemodũ impoſsibile exiſtit: licet tamẽ aliquando loco eorum alia facere quę uſum haud diſsimilem pręſtent. Earum uero omnium natura opifex eſt, medicus autem miniſter.

*βλαισά. i. ualgi ſeu uatii, uide Gal. libro, de morborũ cauſis. alii legũt, βλαισά

ſter. Quæ uero numero excedunt, his ablatio cauſa ſalubris exiſtit. inſpicere uero oportet in quibus id fieri poſſit. Nam ſi impoſſibile appareat, tranſponere tentandum eſt. Eadem eſt & eorum quæ in ſitu uitia ſunt emendatio, neq; in obſcuro eſt quòd duo ſæpius, aut tria uitia eandem partem poſſunt occupare, ſicuti in eo qui uentriculum paruum ſimul atq; rotundum, atq; aduerſus ſeptum habuit incumbentem. In ipſo etenim, magnitudo, formatio, ac ſitus erant deprauati, temperatura quoq; frigidior exiſtebat, hic nullo artificio ad naturalem habitũ transferri poterat: at ne adeò infeſtaretur erat remedio locus. nam quoniam repleto uentriculo difficultate ſpirandi premebatur, minus cibi, at magis alimento opportuni, & qui nõ difficulter ſubduceretur, ter die aſſumebat. Alteri uerò cui obſtructio in hepate ob uaſorum anguſtiam ſępius cõtingebat, extenuans uictus pro remedio inuentus eſt.

DE SOLVTIONE CONTINUITATIS. CAP. LXXXVIII.

RElinquum igitur id morbi genus eſt, quod & ſimilaribus & inſtrumẽtariis partibus commune exiſtit. ſolutio ſcilicet

conti

cõtinuitatis quam quiſpiam forte his unquam adeſſe negaret qui integra ſanitate fruuntur, quoniam ſemper ſit paſsio. quem ſane latet eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Niſi enim operationis læſio ſenſibilis, ſanitatem ab ægritudine ſeparet, ſed qualitatem tantummodo diſpoſitionis introſpiciamus, perpetuę paſsibilitatis dogma neceſſario recipiemus, cum nullus ſit qui omnes operationes optimas habeat. Sed de hoc quidem, ut quod ad logicam potius pertineat con templationē, ſeorſum conſideretur. Salubres uero cauſas, ut his quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus à mala temperatura exordiū faciētes. Hic uero prius diſtinguamus quę omnes ferè medici pretermittũt, alias quidem eſſe ſalubres cauſas eius intēperaturę quę iam facta eſt, alias autē illius quæ & adhuc fit, ſicuti etiam alias eius, quæ futura eſt. Huius itaq; poſtremæ, hæ quidē in præſeruatiua artis parte continentur, hæ uerò in ſalubri. Primę autem inter omnes in curatiua tãtummodo, ſed eius, quã mediam inter utrãq; locauimus, in præſeruatiua, & curatiua. Iam enim factam, atque exiſtentem ægritudinem curare oportet: ſed quę nondum

qui

quidem adeſt, at futura eſt, prohibendum eſt ne fiat ab ea quæ eſt in corpore diſpoſitione. Eius autem quæ adhuc fit, quod quidem factum eſt curare opus eſt: quod autem futurum, prohibere ne fiat. Prohibebitur autem ſublata ea diſpoſitione, quam ſequi natura apta eſt. Talis uerò diſpoſitio cauſa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur ſoluta ea diſpoſitione à qua primũ, ea quæ ſecundũ naturam læditur operatio, quam quidam & ipſam morbi * eſſentiam dicimus eſſe.

* αἰτίαν, i. cauſam

DE COMMVNISSIMA INTENTIONE curatiua.

CAP. LXXXIX.

CVratio uerò unam precipuam, ac cõmuniſsimam habet intentionem, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ cõtrarium. Ex hoc ſiquidem genere ſunt cauſæ illæ omnes quæ ſanitatem efficiunt. Secundum partem uerò, ex unicuique diſpoſitioni contrariis. Calido igitur affectui, cauſa frigida contraria exiſtit, frigido autem calida: eademque in cæteris proportione. Etenim ſi omne immoderatum eſt præter naturam, moderatum uerò ſecundum naturam: neceſſe eſt omnino, ut immoderatum ab immoderato contrario ad

med

mediocritatem redigatur. At manifestum est quòd secundum potentiam, nõ autem imaginationem, & calefaciens, & refrigerans, & quæcunq; alia huiuscemodi oportet assumere. Voco autem secundũ potentiam quod re ipsa uere tale existit, quale esse dicitur. Secundũ imaginationẽ autẽ, quod ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, cum tamen uere tale non sit. Sed qua sint hæc ratione distinguẽda, diximus in his libris, in quibus de simpliciũ medicaminum potestatibus agitur. Ad inuentionem autem salubriũ causarũ, quæcunq; quidem, ut ad eam quę iam facta est ægritudinẽ, causæ salubres existunt, uia illa doctrinæ utendũ, qua id quod imaginamur, ab eo quod talẽ habet potestatem, separetur. Quæcunq; uerò, ut ad eam quæ adhuc fit, & hac eadem uia, neq; non illa præterea, ex qua ægritudinum causæ inueniuntur. Esto enim si ita contigerit in humoribus putrescentibus accendi febrem. * Indicatio in huiusmodi est euacuatio, atq; alteratio, hæc quidẽ quæ putredinem finiat manente adhuc substantia, euacuatio uerò quæ totã ex corpore substantiam educat. Sed dicta quidem alterationis species concoctio existit, quam ubi inuenerimus

mus

mus à quibus nam causis fieri contingat, tunc utiq; eorum quæ hoc pacto salubria sunt scientiam tenebimus. Euacuationes autem fiunt, & per sanguinis emissionem, & clysteris usum, & per urinæ uias, atque eam quæ per cutem fit transpirationem, ac præterea per eam quæ fit ad partes oppositas attractionem, atque ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hoc idem genus pertinet citare menstrua, atque ora uenarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, ac per palatum, naresque expurgare. Cum igitur & hic materias inuenerimus, quibus in qualitate, & quantitate, & modo usus adhibitis, euacuatio fit, in ipsa artis parte salubria inuenientur, atque eorum omnium inuentio traditur in eo uolumine, quod de arte curatiua inscribitur. Eadem ratione in aliis tribus intemperaturis, si unum commune præceptum obseruabimus, ut unamquanq; prius quæ efficit causam rescindamus: deinde ita ad illam, quę ab eadem causa facta est, ægritudinem accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus. Secundum uerò compositas intemperaturas ex simplicibus compositio commonstrabit salubria præcepta, cum hic quoque studuerimus

mus pro magnitudine intẽperaturę eidem cõueniens inuenire remediũ. Veluti ſi ita contigerit quòd in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem ea quæ naturæ conueniat, decidat corpus, ſeptem uerò ad ſiccitatem maiorem: tunc ſalubrem cauſam in huiuſcemodi affectibus eſſe oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, ſeptem uerò humidiorem. Si igitur ipſi particulę patienti admoueatur tale remedium: tanto erit frigidius, atque humidius, quantum exigit partis affectæ indicatio. Quòd ſi particula affecta in penitioribus locis ſita ſit, machinari oportet inſuper tale inuenire ſalubre remedium, cuius uis nequaquam in itinere antea ſoluatur. Si itaque calidius eſſe oportuerit, eo quod eſt moderatum, non ſolum tantam habeat caliditatem, quantam exigit morbus: ſed ultra eandem menſuram tantum adiiciatur, quantum ex ſitu, ut pertingere poſsit ad locum patientem, ſit neceſſarium. Si uerò frigidius: non ſimpliciter tantum frigiditatem oportet augere, ſed & materia quoque prius eſt animaduertenda. Si enim craſſa ſit, non admodum poterit ad profunda penetrare: at potius contrarium præſtabit effectum, ſpiſſando

ſup

ſuperficiem, atque denſando. At ſi tenuioribus partibus cōſtet, poterit ſane plurimum ſubire profundum. Idem in humectantibus, atque exiccantibus accidit, in quibus craſsitudo atq; ſubtilitas partium ſubſtantiæ eſt inſpicienda. A ſitu quidem loci, ut nuper diximus, inuenit indicatio ſalubre remedium. A formatione autem, & ſitu ſimul, quando effluxus ſenſibiles, atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut his omnino caruerint. Quos enim effluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertemus: atque ad illas impellemus quæ nullum habent principatum. Illud uerò manifeſtum, quod earum quæ intemperaturam efficiunt cauſarum, curatio fit per euacuationem. Nam ipſæ intemperaturæ ſola alteratione ſanantur.

CVRATIO SOLVTIONIS CONtinuitatis in parte carnoſa.

CAP. XC.

Continuitatis autem ſolutionis curatio, intētionem quidem habet unionem, quæ in partibus quidem inſtrumentariis impoſsibilis eſt: in ſimilibus uerò nō ſemper poſsibilis. At quandoque, ſicuti in carnoſis ſanitas conglutinatione perficitur

tur, nil uerò differt, neque si coalitum appellaueris. Ipsam uerò antecedit, quando uulnus maius extiterit partium applicatio distantium, quæ ex formationis genere existit. Vt autem hæc ipsa firma, ac stabilis fiat, & alligatio cogẽs in unum quæ distant, & fibulæ, & suturæ utiles sunt. Coalescere autem facit ea, quæ inuicem distant, ac pristinã restituit unitatem ipsa natura. Nostrum uerò opus est, ut diximus, applicare extrema distantium partiũ, atq; ita ut in unum coacta sunt, conseruare: & tertio loco cauere ne quid labris ulceris intercidat: & quarto ipsam partis substantiam conseruare salubrem. Sed quo pacto & primum, & secundum impleamus officium, dictum est. Tertium uerò in cogẽdo in unum partes distãtes exequemur, si nihil extrinsecus incidere permittamus, quoniam sæpius usu euenit, ut pilus, aut oleũ, aut aliqua alia humiditas interueniẽs, earum quæ copulandæ sunt, partium, unitatem impediat. In eo autem quod sequitur tempore per suffluxiones tertia intẽtio retinetur. Ipsam uerò suffluxionem ex eiusdem, & contrarii loci diuisione, & figura opportuna comparandum. Partis autem substantiam salubrem cum mediocriter

exic

exiccantibus cõſeruabimus. Hæc quidem eſt ſolutæ continuitatis curatio, cum ipſa ſola ſeorſum in carnoſa parte conſtiterit. Quòd ſi alicui alteri morbo coniungatur, plures ſunt indicationũ intentiones: quas in compoſitorum uel complicatorum, ſiue ut cuique appellare libuerit, doctrina deinceps trademus. In præſenti autem ſermone ad reliquas unitatis ſolutiones accedendum.

DE SOLVTIONE CONTINVITATIS IN OSSE. CAP. XCI.

F*Ractio igitur eſt cõtinuitatis in oſſe ſolutio: quæ quãtum ad intentionem primam inſanabilis exiſtit: quo ad ſecundam uerò quodãmodo ſanabilis fit. Prima igitur intentio eſt coalitus partiũ, qui ob oſsis duritiem fieri nõ poteſt. Secũda, alligatio quæ fit callo ſupernato partes fractas alligante. Calli autem generatio qua quidem ex materia, & à natura fit, eſt et ad alia communis. Qua uerò formã oſsi uicinam habet, ex eiuſdem fit alimẽto. Molle uerò, & puerile os coaleſcere poteſt. Sed perraro fit talis affectus, quin cum altero ſocietur. Magna enim ex parte muſculi adiacentes unà corporibus aliis, fractis oſsibus, patiuntur. Quare & curationis

*κάταγμα

intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa oſſa, altera uerò circa corpora adiacentia uerſatur. Sed hæc quidem in carnoſarum partium complicatis dicetur affectibus, nunc uerò de fractionibus dicendum. Quoniam enim harum ſanitas calloſitate procuratur, ut callus generetur, proprii oſsis alimenti ſuperfluitatem naturæ ſuggerere oportet: hanc uerò ſuperfluitatem in qualitate, ac quantitate ſeruare modum eſt neceſſarium. unde & ratio uictus eſt adhibenda: quæ tantum ac talem influere oſsibus ſanguinem præparet, qualis, & quantus generando callo ſit opportunus. Quoniam uerò per fracti oſſis cauernas idem effunditur ſanguis: eiuſdem qualitatem, & multitudinem animaduertere oportet: atque ita uel ſicciorem, uel humidiorem uictum inſtituere. Sed hæc omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, plenius ſunt explicata.

DE PVNCTVRA NERVI, ET chordæ. CAP. XCII.

NErui uerò, & chordæ punctura, propter ſenſus uehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem

excitandam : ac tum præſertim, cum nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis uulnere. Aperiendum eſt igitur, atque exiccandum ſubſtantia tenui, quæ uſque ad ima nerui offenſi poſsit penetrare. De his uerò exacte dicimus in libris de arte curandi conſcriptis. In ſimplicibus quidem huius generis affectibus, ſalubrium cauſarũ forma talis exiſtit. In compoſitis uerò complicatur ulceribus prima quidem cauitas, quam non alterum*affectum, ſed ulceris differentiam eſſe arbitrantur. Eſt autem non differentia huiuſcemodi res, ſed alterum aliquod totius ægritudinis genus, in quo ipſius ſubſtantiæ iactura facta eſt. Et quidẽ curatio in duplici morbo, duplicem exigit intentionẽ. Nam cõtinuitatis ſolutio, unitate: ſubſtãtiæ autẽ iactura, generatione indiget. Paulo uerò ſupra generationis intentiones expoſitæ ſunt. Quòd autẽ primũ quidẽ hunc affectũ oporteat ſanare, demũ unitatẽ reſtituere tentare, ipſa rerum natura cõmonſtrat. Cum itaq; repletũ quidẽ fuerit cauum, ulcus uerò ad æqualitatẽ perductũ, alterã intentionem aboleri contingit. Nam media exiſtente inter labia ulceris ea carne quæ nuper eſt genita, partes quidem diſtantes uniri eſt impoſsi-

* διάθε-σιν

bile,unde fit ut alia ſit intentio perquirenda. Intentionem autem conſequemur, ex eo quod eſt ſecundum naturam ipſi parti comparando, erat autem eidem cute obduci naturale. Quare hoc ipſum à nobis procurandum, aut ſi hæc intentio effectum ſortiri non poteſt, ſimile aliquid cuti, carnem ſcilicet*quæ cutis naturæ uicina ſit, inſtaurandum. Eſt autem huiuſmodi quæ & ſicca & calli ſimilitudinem præ ſe fert. Ad cicatricem igitur obducendam neceſſaria erunt exiccantia, ac ſine mordacitate adſtringentia medicamina. Ita & ſi ſordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abſtergendi, & erit medicamen ſalubre abſterſiuum. Eorundem uerò materiam in libris, in quibus de medicaminibus agitur, ſcripſimus. Et quidẽ ſi aliqua inflammatio, uel attritio, aut * tumor prædurus, uel mollis, & laxus cum ulcere fuerint, prius eorum curationi intendere oportet, eas ſequendo uias, ac rationes quas prius expoſuimus. Sic & ſi aliquid ulceri illabitur, ad illabẽtium curationem intendendum. Eodem pariter modo ſi aliqua intemperies ulceratum locum obſederit, ad eiuſdem intemperiei remedia antea ueniendum. Sed de his quidem ſatis.

*δερματώδη

*σκῖῤῥος ἢ οἴδημα

DE

DE SPECIEBVS MORBORVM
ſecundum formationem.

CAP. XCIII.

NVnc uerò tranſeundũ eſt ad formationis genus, quod in plures ſecatur differentias. At ab eo quod euidentiſsimũ exiſtit, exordiũ eſt ſermonis faciendum, quod ex figuræ permutatione contingit. In his igitur qui adhuc creſcunt, poſsibile eſt pluriũ partiũ figuram emendare: in his autem qui iam aucti ſunt, minime. Intentio tamen quoad fieri poteſt, curationem adhibere ad contrarium euerſionis adducendo. Si uerò fractione aliqua non recte cõformata, alicuius membri figura fuerit uitiata, cui ſubſtãtia calloſa innaſci præuenerit, ſiquidem hæc adhuc recẽs extiterit, perfringere oportet, ac rurſus recte afformare, deinde callum ſuperinducere.

DE OBSTRVCTIONE.

CAP. XCIIII.

EST uerò & * obſtructio ex eodem genere ægritudinũ, quę quidem ex lentis, & craſsis humoribus fit, unam & ipſa habens intentionem morbo contrariam: dico autem * apertionem. Cauſæ uero ſalubres ſunt abſtergentia, atque incidentia medicamina. Quæ uerò fit à ſtercore du-

* ἔμφαξις

* ἔκφαξις.

ro, quod interſepit inteſtinum, primum quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibusq́; clyſteribus, demum ex acribus euacuationem expôſcet. Quę autem à lapide fit in ueſica, *in pręſenti quidem tranſpoſitioné requirit, integræ uerò ſanitatis cauſa, inciſioné, & extractioné. Humiditatis autem quæ præter naturam continetur, ſanatio, in omnimoda euacuatione cõſiſtit, quemadmodũ etiam in ſuppuratis. Immodica autem repletio immodica euacuatione curatur, ut cum ſanguis intra uenas redundat. Sic & quibuſcunq;, in uétriculo, uel inteſtinis, uel arteria aſpera, uel pulmone, pus, aut ſanguis continetur, integra euacuatio eſt neceſſaria: ſuperflui auté cibi, aut potus adhuc recentis aſſumptio euacuatione corrigitur. Quæcũque igitur in pulmone, * uel pectore cõtinentur, cũ tuſsi educũtur, aut à medicaminibus extenuantibus. Quæcunq; uerò in hepate, uel uenis, uel arteriis, uel renibus, aut per urinã, aut per uentriculũ. Sed per urinam quidé, ab his quæ uehementer extenuant: per uentré uero, ab his quæ attrahendi, aut aperiédi ora uim habét. Quæcunq; uerò in ſuperiori uentre comprehenduntur, per uomitum, quæ autem in inferiori,

* ἐν τῷ παραυτίκα. ſtatim

* θώρακι

riori, per ſubductionem. Sed quæcunque ſub cute per ſectionem, uel ignem, aut per medicamina adurentia. Sic uerò aliquando quæcunque in aliqua naturali cauitate, ut in thorace. Et, ut ſummatim dicam, quicquid præter naturã in aliquibus partibus continetur, ſanationis intentio eſt ablatio: quæ ſi fieri non poſsit, tranſpoſitio. Quæ uerò non ſunt ex genere, præter naturã, at quãtitate damnantur, in his intentio eſt abeuacuatio. At inuentio eorũ quæ ad ipſorũ ſanationem perducãt, partim quidem ex affectu, ſed præcipue ex ipſis affectis particulis ſumitur.

DE ASPERITATE ET LAEuitate. CAP. XCV.

QVæcunq; partes uero ob id quòd exaſperatæ naturalẽ amiſerint habitũ, his lęuitas naturalis eſt reſtituenda, oſſa quidẽ lęuigando, arteriã autẽ, & linguam leniendo, humidis quæ nihil mordeant, & lentorẽ habeant. Sed quibuſcũq; læuitas ineſt nõ naturalis, aſperitas eſt reuocanda medicaminibus, quę ſufficienter abſtergãt, & parũ adſtringant. Quæcunque uerò, uel obſtructiones, uel *anguſtię meatuum alias ſequuntur ægritudines, ab illarum curatione prius eſt incipiendum.

* στενοχωρίαι

Ostensum siquidem est in libro de differentiis morborũ, quòd & inflammationibus, & duris, laxisq; tumoribus, & siccitatibus, aliquando immodicis, ac præterea uitiosis partiũ continentiũ figuris, ea quæ nuper diximus, sæpius adueniunt: sicuti & quibusdam tumoribus eorũ quæ sunt in ambitu corporũ. Quòd si nõnulla ex proxime dictis inuicem complicentur, uarias habebũt indicationes. Sufficiet autem in uno exemplo habuisse sermonẽ, quoniam de omnibus in libris de arte curandi plenius sumus exequuti. Supponatur cuipiã particulæ multitudinem sanguinis influi, adeò ut intendantur in ea uenæ, non maiores tantum, sed etiam paruæ, quæ prius sensum effugiebant, nunc uerò iam plenæ uisu comprehenduntur, sicuti plerunq; in oculis ob tunicæ albedinem manifestissime patet: par siquidem est quòd & alia uasa quæ latent sensum, iam plena distendantur, nondum & ipsa ob paruitatem uisui manifesta: & iam periculum imminet, ne quod ex uasis exudat, ad spatia uacua, quæ in medio sunt, effundantur, aut ne iam paucum aliquod sit effusum. Huius quidem affectus sanatio intentionem habebit euacuationem, aut, ut manifestiori

uoc

uocabulo utamur, abuacuationem: siquidem morbus erat immoderata partis repletio. Necessariũ igitur est, ut aut superfluitas retrocedẽs euacuetur, aut per ipsam patientem particulam. Retrocedet autẽ, uel impulsa, uel attracta, uel trãsmissa, uel horũ uno aliquo modorũ, uel omnibus. Per locum uero patientẽ euacuabitur, partim quidem manifeste, & sensibiliter, partim uerò in uapores resoluta. Si igitur uniuersum corpus plus æquo plenũ fuerit, per patientem locũ minime euacuandum. Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si uerò calefacientibus dispergere tẽtabim⁹, plus erit id quod ui caloris ad partem attrahetur, q̃ dispersum. Quòd si in eo elaborabim⁹, ut quod influxit retrocedat, corpus plenũ non admittet. Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere quod patienti particulæ influit: quo perfecto opere, prius à parte repellendum, mox dispergendũ. Quantò enim per minora fit, tantò expeditior est euacuatio. A patiente uerò loco adstringendo, ac refrigerando, repellemus: sed & exinanita loca attrahunt ad se ipsa quæ-

cunq;

cunq; repercutiũtur. Hoc ſiquidem oſtenſum eſt in eo uolumine, in quo de potentiis naturalib⁹ agitur, & uaſa præterea uigore ex medicaminibus adſtringentibus addito, à ſe ad alia remittẽt. Si igitur hac uia ſuperfluũ omne retroceſſerit, bene ſe res habet. At ſi aliquid fuerit in parte retentũ, coniecturandũ erit id lentũ ac craſſum exiſtere: atq; ea ratione iam coactũ, atq; adſtrictum, ut cum difficultate ſolui poſsit. Fieri autem poteſt, etiam ſi nõ eius naturæ ſit, ut ad ſpatia quæ in medio, ſit effuſum: in quo caſu tunc ad id ueniendũ eſſe tempus ſuadet, ut hoc ipſum quod reliquũ eſt per patientem locũ euacuemus, imponendo ſupra iacentibus partibus ea, *quæ influentem humorẽ repellendi uim habent. Maxime uerò euacuabis, ſi in ſpatiis intermediis aliquid cõtineri coniectura aſſequeris, & ſcarificationum auxilio, * & medicaminum quæ uim habeant, diſpergendi. Sed quoniam hæc omnia uires calidas habent, eiuſdem uerò temperaturæ opus eſt, mordere quando modum exceſſerit, cauenda ex eis ſunt uehementiſsime calida, ac tum præſertim, cum patiens locus inter ſumma fuerit: neque enim paruus excitabitur dolor, ſi præter

*ἀποκρουστικά.

*διαφορητικῶν

prop

propriũm affectum inſuper mordeatur, omniſq́; præterea dolor fluctiones commouet. Quòd igitur mediocrem caliditatem obtinet, * in his ſenſum doloris non inuenit: atq; eo amplius omni dolore uacat, ſi humidum extiterit. Et quidem quicquid per ſumma hæret, potẽs eſt id medicamen diſpergere: quòd etiã ualidas nõ habuerit ad diſpergendum uires. Quòd ſi ſummæ quidẽ partes omni noxa caruerint, id uerò quod euacuari oporteat in penitiorib⁹ partibus fuerit: intẽdendus, atq; augendus diſpergentis medicaminis calor, cũ dubitandũ ſit ne priuſquàm profundas attigerit partes, interim uires amittat: neq; tamẽ ex eo ſuperiores partes aliquẽ dolorẽ ſentient, cũ omni uacent affectu. Quare nũc hæc duo ſimul inuitant ad calidiorũ pariter, atq; acrium medicaminum uſum, & ſummæ partes quæ tolerant, & profundæ quæ egent. Hæc igitur ex patiente particula indicatio aſſumebatur. Deinceps uerò, ſi quid ad ſanitatẽ deficiat conſideremus, neque enim paruum aliquid deeſſe uidetur. Affectæ partes, in quibus fluctionis ſuperfluitas retinetur, nonnullæ quidem raræ, & laxæ, & molles natura exiſtunt: nonnullæ autem denſæ, &

preſſæ,

*ἀνώδυνον

pressæ, ac duræ. Priores igitur facilè euacuantur, reliquæ autē acrioribus euacuantibus, ac prætereà tenuiores partes habentibus, egent: atq; eò etiam magis quantò profundiorem situm habuerint. Hæc igitur tibi rursus sit indicatio, altera à particulæ patientis substantia: alia uerà à formatione simul, ac situ. Supponatur enim, * si ita contigerit, in hepate esse proxime dictum affectum, in angustis uasorum finibus intrusis humoribus, qui uel lenti, ac tenaces, uel crassi existant, uel superabundent. Nónne in promptu est, primum quidem crassitiem, unà cū lentore, & tenacitate, cibis, ac potibus extenuantibus, ad subtiliorū partium substantiam rransferri oportere? Secundo autem loco non per angustos, atq; inuisibiles, sed latiores meatus quicquid infestum existit, esse euacuandum? Sunt enim in hepate uenæ nō minus amplitudine, quàm numero excedentes: terminātur autem hæ quidem in gibbis ad uenam cauam, hæ uerò in cauis ad portam. Vnde haud difficile tibi futurum ubicunq; * pressi, ac stipati humores fuerint, eosdem expedite euacuare, trahendo quidem ad uentrē cum his quæ attrahendi uim habent medicaminibus, quicunq; ex ipsis

* εἰ οὕτως ἔτυχεν, exempli causa.

* σφηνωθεῖς,

ex ipsis in uenis ad caua hepatis pertinentibus aceruati, ad urinæ uerò meatus promouendo per cauam uenam quicunq; in uenis ad eam pertinentibus sunt. Sed preter supradictas alia est indicatio ab hepate ipso, ueluti à uenarum principio: nam cum non tantum seipsum regere natura aptum sit, ut pleræq; animalis partes, sed uenis præterea uirtutem largiatur, periculum imminet, ne si eius uigor madefacientibus, ac relaxantibus cataplasmatibus fuerit resolutus: & ipsum primum, ad sui opus, atq; omnes subinde uenæ eius ratione imbecilles efficiantur. Quare in eius curationibus aliqua ex astringẽtibus medicaminibus miscere oportet. Sed quoniã in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit ne adstringentis medicaminis uis debilitetur: nisi ab aliqua altera subtilium partium substantia qualis aromatum est, traducatur. Melius uerò fuerit, si & ipsum adstringens medicamen unum protinus ex aromatum genere fuerit: nam si duas habuerit natura insitas qualitates ac potestates, ualẽtius operabitur. Et quidem euacuetur quod præter naturam in membrũ confluxit. Seruet autem humorũ modũ naturæ cõuenientem. Quare & illa

anim

animaduerſio à nobis eſt adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate, eiuſdem membri temperies ſit alterata: ſi pituitę naturam tenuerit, ad frigiditatem: ſi uerò bilis, ad caliditaté, ut hanc ipſam curantes intemperiem ſanitati reſtituamus. Curabimus autem[1], contrariam ex aduerſo afferentes qualitatem: quemadmodum in intemperaturarũ curationib[9] diximus, quantum unumquodq; calidius, aut frigidius factum eſt, tantum refrigerantes, aut calefacientes. Quare ut hic rurſus agnoſcenda eſt ipſius ſecundũ naturam temperies. Nam quo pacto ſciemus quantum in frigiditate, ac caliditate à naturæ modo receſſerit, aut quando à frigefaciendo ſuperſedebimus, ſi nos latuerit, ea quæ eſt ſecundũ naturam caliditas? Ita uerò & ſi frigidius effectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum: neq; opportune calefacere, neq; in tempore à calefaciendo deſiſtere poterimus.

DE MORBO SECVNDVM numerum.

CAP. XCVI.

SEd quoniã de his ſatis diximus, tranſire iam tempus ad ea in quibus numerus non eſt ſecundũ naturã. Cum uero duplex

plex ſit eorum differentia, quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio eſt alteram efficere ſubminiſtrando naturæ, eo quo diximus paulo ante, modo. At quibus ſuperabundat, hanc reſecare oportet, aut ferro, aut igne, aut medicamine, quod urendi uim habet. Hæc igitur omnia ſanare poſsibile eſt: at non æque omnia generari poſſunt, ut in libro de ſemine diximus. Quædam uerò ſunt, quæ & ſi generari nō poſſunt, licet tamen pro ipſis alterum efficere: quemadmodum in oſſe ex toto ſublato, alteram ſubſtantiam in eius ſede reponere, à carne, atq; oſſe differentem: eſt enim quæ in eius gignitur loco quędam ueluti caro calloſa uel callus carnoſus, & proceſſu temporis magis, ac magis ad calli duritiem trāsfertur, cum ab initio carnis potius imitetur naturam. Quacunque parte ſublata, cum neque eandem ſecundum ſpeciem ſubſtantiam, neque similē efficere poſſumus, tertia nobis intentio quēdam decorem inuenire, quemadmodum in mutilationibus.

DE MORBO SECVNDVM magnitudinem. CAP. XCVII.

COmmunicat autem hoc genus totum cum eo quod ad magnitudinem pertinet.

tinet. Nam quodcunq; ex eo est secundum naturam, illi propinquum exiitit. Id uerò tantum seiunctum est, ac separatum, quod inter ea quę sunt è genere nō naturali con numeratur: in quo quidem prima intentio est ablatio. si uerò hæc impossibilis existat, secunda est transpositio, quemadmodum in suffusionibus. Quæcunq; uerò nō integris partibus, sed partium tantummodo particulis deficiunt, aut excedūt naturæ modum: refectio quidem, uel generatio in his quę deficiunt, ablatio uerò, & abolitio in his quæ superabundāt. Quare neque in ipsis altera inuentio, neque medicaminum forma genere diuersa.

DE MORBO SECVNDVM situm. CAP. XCVIII.

SEd iam ueniēdum est ad reliquum salubrium causarum genus, quod ea corpora emendat, quæ in situ sunt uitiata: ueluti * luxationes, & intestinum in scroto. Fit autem hoc ex uiolenta tentione, atq; impulsu. Hoc uero ex dilatato, ac rupto cōtinente. Quare & duplex sanandi modus: alter quidem ad oppositam partē ei à qua facta est permutatio intendendo, atque impellendo: alter uerò id quod continet firmius solidiusque reddendo. Quibus uero

* ἐξαρθρήματα

uero uiis, ac rationibus singula inueniri possunt, in libris de arte curandi explanauimus.

DE CAVSIS PRAESERVATIUIS. CAP. XCIX.

CON sequens est, ut ea omnia exequamur, quæcunque in superiori sermone dicere distulimus. Vocāt autem eadem præseruatiua. Est autem horum triplex secundum genus differentia. Prima quidem hominis qui integra fruitur sanitate: secunda uerò eius qui non integre ualet: tertia eius qui ægrotat. Primum igitur genus ad salubrem attinet artem atq; in duas, ut antea diximus, diuiditur partes: secundum uerò ad preseruatiuam spectat: tertium ad curatiuam. Hoc autē uniuersum genus circa humores precipue negotiatur, quos neque lentos esse oportet, neq; crassos, neq; aquosos, neque plurimos, neq; uehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neq; putredini obnoxios, neq; *ueneni naturæ affines. Nam ubi aucti fuerint, generant morbos. Augētur uero nonnunquam eadē ex causa quę eos ab initio generauit. Illud autē plerūq; accidit, ut sua alteratio ne inficiāt eos qui sunt in corpore humores. Intētio uerò, & horum sanationis du-

*δηλητηρίοις

plex exiſtit, alteratio , atq; euacuatio. Alterantur igitur , uel ab ipſo corpore concocti , aut ab aliquibus aliis facultatibus quæ uim medicatiuam habent : è quorum numero etiam ſunt ea quæ exitialium ferarum uenenis aduerſantur , ac præterea pharmaca quæ uenena appellantur tranſmutant. Euacuantur autē ſatis calidis medicaminibus, & purgationibus, & clyſteribus, & ſudoribus, & uomitibus. Hæ quidem igitur ſunt communes euacuationes. Propriæ autem ex locis in quibus coaceruantur, aſſumuntur, ut in libris de ſalubribus oſtendimus: tertio præſertim, ac quarto, in quibus de laſsitudinibus egimus, ac reliquis diſpoſitionib⁹ quę laſsitudini natura proximæ ſunt. Promptius enim euacuantur per uentrē quęcunq; in primis uenis continentur ſuperfluitates. quę autē in his quæ in hepate ſunt, per urinæ meatus. at quæ in toto corpore, per ſudorem: ſicuti quæ in capite, uel per palatū, uel per nares, uel per utrunq;: quæ uerò ſunt in ſpatiis pectoris laxioribus , per guttur ſimul cum tuſsi, quæ in renibus ſunt, uel ueſica, per urinam . Attrahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt, ad quàm maxime diſtantia: deriuatio

uero

uerò ad uicina. Quæcunq; uero huiuscemodi curant dispositionem, causas salubres appellamus: sicuti insalubres eas quã adaugent: & neutras, quæ neque obsunt, neq; iuuãt. Posset uerò quispiam, neque omnino causas appellare, quemadmodum maior pars sophistarum, qui rerum quidem differentiam inuenire contemnunt: plurimum uero temporis in nominibus conterunt, cõtra quos in aliis uberius disseruimus. At pars quidem artis præseruatiua talis est.

DE PARTE ARTIS QVAE conualescentes reficit, & senibus congruit.

CAP. C.

QVæ autem reficit, atq; restaurat, in conualescentibus, ac senibus locum habet. Quæ uero sit horum dispositio, & à quibus præcipue causis, ad naturalem reducitur habitum, in libris in quibus de medendi arte tractauimus, abunde explicauimus, sed nunc per capita dicetur. Dispositio quidem igitur talis est, optimus quidem, sed exiguus est sanguis, atq; unà cũ ipso spiritus animalis, atq; uitalis. Ipsæ uero particulæ solidæ sicciores, & idcirco eorũ uires sunt imbecillio-

res, atq; earundem ratione corpus uniuersum frigidius. Causæ uerò salubres quæ hanc emendant dispositioné, ut uno comprehendam capite, sunt quæcunque præsentaneum, atque securum exhibent alimentum.* Secundum partem auté, in motibus moderatis, & cibis, potibusque, ac somnis consistunt. Sunt uero motus materiæ, uehicula, ambulationes, frictiones & balneæ: & ubi non parum se ex his processisse senserint, paulatim se ad consueta opera transferant. Cibos autem assumant, in principio quidem humidos, & concoqui faciles, neq; frigidos, ac cum progressi fuerint, eos etiam qui plurimum præstãt aliḿetum. Potus uero opportunus est uinum, ætatem quidem habens mediocrem, *in substãtia autem purum, atque perlucidum: quod scilicet uel subflauũ, uel subalbum existat, atque suauiter olens: gustui uerò, neque aqueum omnino, neque cum aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritudine sentiatur. Vt autem proxime diximus, de hisce omnibus in libris de arte curandi conscriptis, plenius disseruimus. Nunc enim neq; omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum, sed solum capitum

*κατὰ μέρος, particulatim

*εἶδος specie, forma

tum mentionem facere intendimus, eorum quæ in aliis uoluminibus latius explicauimus. Quorum omnium si prius & numerum & qualitatem exposuero, finem libro imponam. Diximus itaque prius, quòd alter est liber in quo de constitutione artis medicinæ disseruimus: antecedunt autem eum alii duo de constitutione artium, sed hi quidem unà cum hoc cui nunc extremam manum adiecimus, seorsum sunt ab aliis libris in quibus plenior doctrina explicetur. Illi uero talem inter se ordinem habent. De elementis quidem secundum Hippocratem liber unus. Post hunc autem tres de temperaturis, ex quibus quidẽ duo sunt de temperaturis animaliũ, tertius uero de his quæ simplicium medicaminum sunt. Quam ob rem & tractatum illum in quo de simplicium medicaminum potestatibus agitur, nemo recte intelligẽtia assequi potest, nisi prius tertii libri de temperaturis integram cognitionem fuerit adeptus. Est & alius liber paruus, qui ordine sequitur duos priores alios de temperaturis, inscribitur autem de inæquali temperatura. Similiter autem, & hunc alii duo parui, alter quidẽ de òptima corporis constitutione, alter de bono habitu. Alius ue-

ro tractatus est qui tres cōplectitur libros de potentiis naturalibus: quem si quis legere uelit, post librum de temperaturis, siue post librum de elementis, utrunque erit consentaneum. Post hunc in pluribus aliis libris de operationibus animalibus disseruimus, sed quoniam ad earū demonstrationes non parum conferunt quæ per sectiones ostenduntur, in illis exercitari oportet. Est autem maxime inter alios utilis ille tractatus qui de sectionum aggressibus inscribitur. Alii autem sunt post eum plures, duo quidem de discordia sectionis, unus uero de sectione mortuorū: post quos sequuntur hi in quibus agitur de sectione uiuorum. In aliis uero quibusdam particulatim ob eos scripsimus qui introducuntur de ossibus: sectio quoque musculorum, & neruorum, & arteriarum, & uenarum, & quædam alia huiuscemodi ex eodem numero existunt. & liber etiam in quo quæritur, nunquid in arteriis continetur sanguis naturaliter. Qui uero earundem partium operationes demonstrāt, duo quidem sunt de motu musculorum: tres autem de pectoris, & pulmonis motu: post quos sequitur liber de causis respirationis, post hunc liber de uoce. De principatu

patu autē animæ, & de omnibus aliis quæ de naturalibus, uel animalibus operationibus in quæſtionem trahuntur, in longo uolumine ſcripſimus, qui de dogmatibus Socratis, & Platonis inſcribitur. Ad eiuſdem generis cōtemplationem pertinet liber, de ſemine ſeorſum cōſcriptus, & amplius de ſectione ſecūdum Hippocratem: quos omnes ordine ſequitur tractatio de utilitate partium. Ad dignoſcendas autem ægritudines, utilis eſt liber in quo de mēbrorum * paſsionibus agitur: itidem & ille in quo de pulſibus ſcribitur, in quo & præcognitiones edocemus. Librum uerò de pulſibus præcedūt alii duo, alter qui de uſu reſpirationis, & qui de uſu pulſuum. Is uerò de pulſibus in quatuor diuiditur partes, primam quæ eorum differētias, ſecūdam quæ dignotiones, tertiam quę eorum cauſas, quartam quæ illam quæ per eoſdem fit, continet præcognitionem. Ex eodem genere eſt ille qui his qui introducuntur, de pulſibus ſcriptus eſt. At uerò in animo eſt alium ſcribere librum, ueluti quoddam omnium iſtorum compēdium, quem inſcribam, uel artem de pulſibus, uel compēdium. Ad hanc quoq; iuuant contemplationem, quæ à me exponuntur, &

*περὶ πεπονθότων τόπων, de locis affectis.

ſimul iudicantur in libro Archigenis de pulſibus. Ad præcognitionem autem plurimum confert liber de criſibus, id eſt decretis naturæ, quem præcedit alter de decretoriis diebus. Sed liber etiã qui de difficili anhelitu inſcribitur, & ad dignoſcendum præſentem affectum, & ad præſcienda bona, uel mala quæ ægrotãti ſunt euentura, conducit. Hi igitur omnes, atque unà cum ipſis tractatus quidam* uno tantum libro comprehenſi cognitu utiles ſunt, ſicuti illis qui de præincipientibus cauſis inſcribitur, & de medicinali experientia, & de extenuante uictu, & qui de uenarum ſectione ad Eraſiſtratum, & qui *de tumoribus præter naturam, & qui de multitudine, atque alii præterea ſimiles. Præ cæteris autem ad curandi ſcientiam maxime neceſſarius exiſtit qui de morborum differentiis agit, & de accidentibus, & tertius præter illos in quo morborum cauſas explicauimus: poſt quos ſunt tres alii qui accidẽtium cauſas explanant. ſunt etiam de medicamẽtorum ſimplicium uiribus libri, de quibus ſupra meminimus, & qui de medicamentorum compoſitione: quos ſequuntur libri de arte curandi, his qui de ſalubribus inſcribuntur, ſeorſum

*μονόβιβλα

* περὶ πλήθους, de plenitudine

ſum à nobis conſcriptis. Quò d uerò ante hoſce omnes prius exercitari oporteat, in libris de demonſtratione, Si quis hanc artem cum ratione ſit tractaturus, monſtratum eſt à nobis in libro qui de optima inſcribitur hæreſi. De aliis autem libris, & commentationibus à nobis ſcriptis, trãſigere nunc minime neceſſarium, cum de hiſce omnibus alibi ſimus tractaturi in uno fortaſsis, aut duobus libris, qui ita inſcribẽtur, Galenus *de uoluminibus ab eo conſcriptis.

* περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων, de libris proprijs

FINIS.

HIPPOCRATIS COI DE MEDICO, MEDICI'VE OFFICIO LIBER.

*



ITERA quidem medici moderatio eſt, proſtaſia'ue mãdatumq́ue, quo pacto medicum munus parari, tractari, & exerceri conueniat. Medici quidem moderationem, proſtaſiam'ue hanc eſſe ducimus, proſpicere, quatenus ſuapte natura poſsit, corpore ſano, ualido'ue, colore optimo, habitioreq́; uti eſſe ſtudeat: ſiquidẽ uulgo cẽſetur, qui male ſui corporis curã habeat, cæteros nõ bene curaturũ. Præterea corporis munditia, ueſtiũ nõ ſuſpectis ad omnia odoramentis utatur, quod languẽtibus gratiſsimũ eſt: deinde prudẽti, pudẽti, & integro animo, moribusq́; eſto. Nõ ſolũ taceat quę tacẽda ſunt, mores autem probi & optimi ſint: ſed etiã quantũ ad uitã pertinet, moderatã, beneq́; diſpoſitã habeat, quod plurim

rim

rimum ad autoritatem comparandã facit: mores autem probi & optimi ſunto, quod omnibus colendũ & amandũ reddit. Petulantia namq; & garrulitas deſpicitur, & ſi admodũ uſui, utilis'ue uideatur, & ſit: facultates autẽ, opes'ue reſpectato, conſiderato'ue, quæ apud habentes raro æſtimãtur, amantur'ue. Schemaſi uerò, formis'ue, ſiue figuris, geſtibus'ue cõpoſitis languentes addito: prudentiã quidem uultus præ ſe ferat lenem, mitem'ue, non aſperã, acerbam, amaram'ue: nam hoc non probi, ſed improbi & audacis, hominisq; peroſi, ſpernentisq; eſſe uidetur. Qui autẽ in riſum ſolutus eſt, & nimis lætus eſt, moleſtus languentibus eſt. Quamobrem mediũ ſeruato, parq; & æquabilis in omni conſuetudine eſto: nam languentibus paritate quadam, & iuſtitia in multis ſuccurrendũ eſt: nec parua eſt conciliatio, beneuolentia'ue languẽtiũ erga medicos, ſiquidẽ totos ſeſe illis dedunt. Præterea medicus omnibus horis, fœminis, uirgunculis, rebusque non parui momenti occurſat, quibus omnibus manus, oculosq; abſtinẽtes habeto, ſicque & corpus & animũ paratũ', diſpoſitũ habeto: mandata uero, præcepta'ue, quæ ad medicam artem pertinent, per quę eius artifex

tifex dicendus est, hęc sunt, uti cum discere, medicamq; artē exercere cœperit, studeat, discat, sciat'ue, quæ ad munus medicum pertineāt. Primū habitationis locum ægro cōmodum deligat, quo nullus malus uentus molestet, solisque lumē, splendor'ue per ortum nō deserat. Lumen enim procul & perpetuo tenore lucēs, & his qui curant necessarium est, & his qui curantur molestū. Lucemq; eam omnino sectetur, quæ nihil oculis officiat, noceat'ue. Lumē autē, uti sectemur, mandatur quòd contra faciē uisumq; nō sit, nam aciem oculorum debilitat, perturbatque: minima siquidem causa debilitatos oculos perturbat: lumine itaq; sic utatur. Sedilia postea æque alta habeto, ut qui in illis sedeāt, sibi æqualiter cōueniāt respondeāt'ue, nihilq; ęnèum habeto præter instrumēta ad rem medicā necessaria. Siquidē hic luxus molestus, & ambitiosus mihi uidetur his apparatibus, uasibus'ue uti. Puram autem, limpidam, bonam, potui cōmodam his qui curantur aquam præbeto. Linteis autē pannis quibus tergantur, mundentur'ue, puris, mundis, mollibus, utitor: causa autē oculorum ad oculos'ue tenuibus, mollibus linteolis, spongiis autem ad uulnera: hæc enim per

ſeſe probè auxiliantur. Cuncta autẽ inſtrumẽta uſui neceſſaria parata ſunto magnitudine, pondere, tenuitate, ſubtilitate'ue commoda: quæ uerò porriguntur cuncta uti conferant, operam dato, potiſsimum autem quæ parti alicui laboranti admouentur, quæ ſunt uincula, medicamenta, circaque uulnera linteola, lineamenta'ue, emplaſtra, linimenta'ue. Hæc enim plurimum temporis in partibus, et locis affectis cõmorantur: ſiquidem poſt hæc, horũ remotio, refrigeratio, perpurgatio, aquarum ablutio, parui cuiuſdam temporis ſunt. Si quidq; præterea aliud plus, minus'ue alicubi peragendum ſit, conſiderato. Hæc enim ſi fiant uel non fiant, cum uſus eſt, magnam habent differentiã: colligatio quidem, deligatio'ue, peculiaris & propria eſt medicæ artis qua deligatus iuuatur. Hæc autem duo potiſsimum proſunt, quibus crebro utendũ eſt premere, ſtringere'ue, cum & ubi oportet laxiusq́ue ſuperligare. quo autem ad anni tempora, quando ſupertegere, optimeq; conuoluere, & quãdo nõ oporteat diligẽter cõſiderato, ne quauis horũ obliuione lædatur, debilitetur'ue languens, uel quod affectũ eſt, quod cum uſus fuit, factũ nõ eſt. Superligationes autem

tem, deligationes'ue pulchras, ſpectãdasq́; contemnito. Moleſtum enim hoc eſt & oſtentatorium, iactabundum'ue, ſæpiusq́ue curatũ lædit. languẽs enim utilitatem non ornatum captat. Manuũ autem operæ chirurgiæ'ue eſt, quæ ſecanda uel urẽda ſunt celeriter, uel tarde pro uſus neceſsitate peragere: quæ æque laudantur. Nam horũ utrorumq; uſus eſt, quoniam in quibus opus eſt unica ſecatione, manuũ opera celeriter peragatur, diuiſio, ſeparatio'ue, ſiue ſecatio prodeſt. Siquidem quod ſectos iuuat uel moleſtat peruiciter, celeriter'ue tollitur: quare hæc ne differto, hoc enim pernici, celeri'ue ſecatione, ueniet. Cum autẽ plures inciſiones fieri neceſſe eſt, tarda manuum opera utitor: celer enim in his continuum & multum laborẽ dolorem'ue facit. Quod ſi aliquatenus intermittat, languentibus aliquam requiem dat: quod & de inſtrumentis dicatur, ſcalpris, gladiolis'ue latis, exacutis utitor: ſed hoc non in omnibus æque mandamus. Quædã enim corporis partes ſunt, quæ celerem ſanguinis fluxionem faciunt & habent, quod nõ facilè comprimitur, compeſcitur'ue, quẽadmodum ſunt uarices, quædamq́ue aliæ uenæ, quę non late ſecandæ aperiendæ'ue

ſunt, nunquam enim defluere ceſſarent, ſanguinem tamen ex his mittere confert quandoque, ſed in locis non periculoſis, & in quibus ſanguis tenuis non eſt ſcalpris latioribus utitor: ſic enim latius defluet, & copioſius, minime autẽ aliter: turpe quidem eſt ualde cum ex manuum opera, chirurgia'ue, quod quis uelit, non euenit. Cucurbitularum uero modi duo ſunt utiles & in uſu, nã cũ deſtillatio reuma'ue, procul à ſuperiore carnis parte colligitur, circulus huius paruus ſit, nec uentrioſa, ſed oblonga ſit, manibus uti melius tractetur, nec grauis efficiatur. Talis enim ſi ſit, ſaniem ex carne ad ſuperiora recta melius trahet, maiore uero dolore, labore'ue per carnem ſparſo: alteram ſimilem facito, circulum autẽ maiorem huic circũducito: ſic enim ex pluribus partibus quod moleſtat ad locum quẽ oportet, eam adducere inuenies. Non enim oportere putatur magnũ cucurbitulæ circulum eſſe, cũ ex pluribus locis humores caro nõ traxit, quæ ſi grauis ſit, de ſuperiore ad inferiora detrudet, cum cõtrà expediat, ſæpiusq; morbos relinquit: ſiquidem cum deſtillationes, reumata'ue ſubter & procul à ſuperioribus locis colligũtur & conſiſtunt, lati magni'ue

circ

circuli multa de reliqua carne trahunt, & cõuellunt: quod facit, uti humiditas illinc deducta ad collectã in loco inferiore saniem addatur, quæq; uexãt, relinquantur: quæ uero nihil molestãt, demãtur & auferantur. Quænam cucurbitulæ magnitudo usui sit, de corporis parte, cui admouenda est, cõsiderato, cõiecturam'ue facito. Cum uero locũ pertruderis incideris'ue, de parte inferiore sanguinẽ trahito, & excipito. Sanguis enim pateat oportet in locis manu tractatis, alioqui circulũ cõtractum ne pertundito: caro nanq; laborãtis tenacior est. Scalpris autẽ, gladiolis'ue recuruis retortis'ue in summo utitor, nec ualde angustis: nam sanies quãdoq; crassa, & glutinosa exit, quæ si in angusta pertusione remaneat, subsistat'ue, periculũ est. Quæ autem uenæ in brachiis sunt, cõpressionibus captentur. nam caro quæ tegit uenas, in multis uenæ non bene quadrat, coaptatur'ue: cum enim caro fluxa sit, per eã sæpe utrarumq; fallit incisio. Tecta siquidem uena sufflatur, sanguinisq; defluxus impeditur, plurimis aũt & puris, saniei'ue, quapropter in hac re insistito. Si quidẽ hæc duo detrimẽta talis manuũ opera chirurgia'ue defert, secto quidẽ dolorem, laborem'ue, se-

quanti uero paruam gloriã, honorem'ue, ſed ſummũ dedecus: quod & in omnibus ſeruari, fieri'ue mãdatur. Quæ quidem in munere medico neceſſaria ſunt inſtrumenta, quæq; eũ ſcire oporteat, qui hãc artẽ didicerit, profiteaturq́;, hæc ſunt. quilibet enim, dentiũ uolſellis, odontagreſim'ue, & uuę uolſellis ſtaphylagreſim'ue ſcit uti: nam earum uſus ſimplex eſt, & facilis. De tuberculis autem, hulceribusq́;, quæq; maiorum morborũ ſunt maius negotium eſt. Tubercula ſiquidẽ poſſe diſcutere, collectionesq; eorum compeſcere, magis artificioſum eſt. conſequens autẽ eſt hæc in patentẽ, & paruũ locũ deducere, tuberculiq́; coactionẽ collectionem'ue planã, æqualem'ue reddere. Nam ſi plana, æqualia'ue non ſint, periculum eſt ne dehiſcant, hulcusq́; cum difficultate curetur, ſanetur'ue. Quare cuncta complanentur, coæquentur'ue, maturenturq́;, nec ante pertundantur, aperiantur'ue, ſua nec ſponte dehiſcere ſinãtur, quàm matura ſint. Quæ autem hoc faciant, in aliis dictum eſt. Quatuor autem uias hulcera habere uidentur, quarum una tendit alte, in pro fundum'ue, quę fiſtuloſa ſunt, quæque ſub cicatrice putria, & intrinſecus caua ſunt: ſecunda autem

tem

tem in altũ, & ſuperna tendit, quæ ſupercreſcentem carnem emittunt: tertia uero late ſpargitur, quæ ſerpentia hulcera dicuntur: quarta ſola naturaliter mouetur, & procedit. Hæ quidem ſunt carnis calamitates, quibus omnibus fermè eadem conferunt: quorum quidẽ ſigna in aliis demonſtrata ſunt, quo'ue pacto curentur, quo'ue congeſtum conflatum'ue diſcutiatur, plenumq; uacuetur, cauum cõpleatur, quodq; in latum tendit, decore compeſcatur, deque horum ſignis, notis'ue, & curatione, in aliis dictum eſt: de linimentis uero ſeu emplaſtris, cataplaſmatis'ue ſic habet. Linteorum quidem, quæ ſuperponuntur, præcipuus & accuratus uſus eſto, qua morbo & hulceri commodum erit, ſuperponuntor. Circa uulnus autem emplaſtro, cataplaſmate'ue utitor, quod eius uſus artificioſus eſt, quodque plurimum prodeſt, quod circumponitur. Nam quod circumponitur, uulneri, hulceri'ue adiumento eſt. Linteum autẽ ſeruato, quæ quidem extra uulnus, hulcus'ue ſunt, cataplaſma, ſeu emplaſtrum linimẽtum'ue adiuuat. Horũ autẽ uſus, talis eſſe debet. De temporibus autẽ quibus hęc uſui eſſe debẽt, facultatesq; uires'ue, quẽadmodumq;

hæc quæ ſcripta ſunt, diſcéda & exequéda ſunt, nunc prætermittitur: quoniam rei medicę plurimam & longiorem procurationem exigunt, quæ plurimũ artem excesſit. Horũ autem conſequens eſt de uulnerum, quæ in militia, bellis'ue fiunt, manuũ opera, chirurgia'ue dicere, telorumq́; ſpiculorum'ue extractione, quæ in urbiũ obſidione, expugnatione'ue cadunt. Sed horum paruus eſt uſus, nam raro longoq́; tempore ciuiles, & hoſtiles expeditiones fiunt, ſæpius hoc in publicis, ſeu generalibus expeditionibus euenit. Quam ob rem qui manuũ opera, chirurgia'ue in his uolet uti, hos ſequatur, cumq́; his tanquam cõmilito degat, & militet: ſic enim melius in hac re ſeſe exercebit. hoc profectò uidetur eſſe circa hæc, aut de his artificioſius dixiſſe. Signa uerò telorum exiſtentium, prompte, cumulate'ue cognoſcere pars eſt artis maxima, circaq́; hæc manuũ operæ, chirurgiæ'ue: quod ſi inerit, nunquam ſaucius ignoratus præteribitur, cum nõ rite curatur. Solus enim horum ſignorum peritus, his, quemadmodum decuit, manus admouebit. De his autem omnibus, in aliis ſcriptum eſt.

HIPPOCRATIS LIBER DE LEGE.

*



EDICA quidẽ ars cunctis profectò artibus præstat, ſed eorum inſcitia, qui ea utuntur, ac eorum iudicio, qui de his hominibus non bene ſentiunt, cunctis iam artibus inferior habetur. Horũ autem erratio hanc mihi potiſsimum cauſam habere uidetur: quoniam ſoli medicę arti nulla alia pœna in urbibus poſita eſt & irrogata, præterquàm uituperationis, infamię'ue: quę quidem errantes non punit, qui perſonis maxime ſimiles ſunt, quæ in tragœdiis producuntur. Figuram autem, formam'ue & habitum eorũ, quos agunt, habent, tamen illi non ſunt: ſic medici plurimi quidem uerbis, ſermone, fama'ue ſunt, opere autẽ, & re uera perpauci. Nam qui uere medicæ artis cognitionem, prudentiam'ue ſibi paraturus eſt, cõmode'ue ad eam ſeſe accin-

get, hæc nanciſcatur & habeat oportet. Naturam, ingenium'ue, puerilem diſciplinam, bonos mores, laboris amorem, tempus. Primũ quidem omnium, natura, ingenio'ue opus eſt. natura enim repugnante & cõtrafaciente, cũcta caſſa & uana ſunt, quę ſi ad optima ducat, ſcientia artis facilè paratur & fit, quam cum prudentia acquirere oportet, diſcendo in puerili ætate loco ad diſciplinam cõmodo: laboris autem amorem, laborioſitatem'ue in multũ, longum'ue tempus producere & cõferre. Diſciplina hæc uti naturaliter inſita uideatur, dextereq; & opportune maturos fructus ferat, cuius ſimilitudinẽ & in his, quæ terra gignuntur uidere eſt. nam noſtra natura, ſeu ingenium tanquam ſeges & ager eſt, doctorũ uerò præcepta, dogmata'ue, ſemina ſunt: diſciplina autem & ſcientia puerili ætate comparata ſuo tempore eſt ſemina in ſegetem, agrum'ue ſationi paratũ iactata fuiſſe. Locus autem, quo diſcitur nutrimentum eſt aëris, quod ſegeti & ſatis accedit: laboris uerò cupiditas eſt opera, tractatio'ue, & ſubactio agelli: tempus autem hæc omnia corroborat, pleneq; nutrit, præbet'ue quæ ad medicam artem, ueramq; eius cognitionem
confer

conferũt. Sicq; hi, qui per urbes uagantur & uersantur, non solùm uerbis & sermone, sed opere & re medici censebuntur. Nam ignoratio & imperitia malũ conditorium, & thesaurus est, malumq; depositum his qui habent, somniumq; est & eius quædam imago, cogitationisq; ueræ, prudentiæq; expers est, timiditatisq; & ignauiæ & audaciæ nutrix. Timiditas enim & ignauia præ sese impotentiam fert, sed audacia artis ignorationẽ. Duo enim sunt, scientia, persuasio'ue & opinio: quarum altera scire facit, secunda autem ignorare.

Hæc itaq; cum sacra sancta'ue negotia sint, sacris, sanctis'ue uiris demonstrantur, prophanis uerò fas non est, priusquam disciplinæ sacris initientur.

HIPPOCRATIS LIBER,

De ſpecie, acie, uiſu'ue, & opſios oculorum corrupta.

*



VM quidem ſpecies, acies, & uiſus oculorũ ſuapte natura, ſponte'ue corrumpuntur, ueneti coloris, cyanitides'ue fiunt: quod cum uenit, curationẽ non ſuſcipit. Quæ uerò maris coloris thalaſſoidees'ue fiunt, ſenſim longo tẽpore perduntur, corrũpuntur'ue, ſæpeq; longo tẽpore alter oculus perditur corrumpitur'ue. Quamobrẽ huius caput purgato, uenasq; perurito, quiq; ſic per exordia curatur, huius malũ ſiſtitur, in peiusq; non procedit. Quæ autem inter ueneti marisq; colorem ſunt, ſi quidem puero fiant, cũ adoleuerit, ſiſtuntur & abeũt: ſin autem ſeptem annis maiori, melius admodum magna, clara, proculq; uidet, non tamen

tamen clare perſpicit, ſi quidq; admodum oculis admoueat, aliud uerò nihil. Huic purgatio capitis peruſtioq; conferet: ſanguinem uerò his mittere non confert nec in colore ueneto, nec marino. Lumen autem in oculis ſana ſpecie & acie puerorũ mas fœmina'ue ſit, creſcẽte adhuc corpore, nunquàm iuueris. Cum uerò non creſcet, oculum ſpectato, palpebraſq; radens extenuato, ſicq; egere uideatur, & intus urito ferramento non admodum candenti ſeu ignito, deinde crura diſtendito colligatoq;, ſellamq; menſulam'ue ſubter ponito, qua manibus firmetur, medium aliquis teneto, poſtea ſcapulares uenas captato, conſiderato, conſignato'ue, deinde craſsioribus ferramentis placide perurito, ne ſanguis cum ures prorumpat. Sanguinem uerò, ſi tempus uideatur antemittito, poſterioraq; ad os uſque perurito: poſtea ſpongiam oleo tinctã oleatam'ue ſuperponito, & inurito non ualde ad os uſq;: ſi uerò ſpongia uſtione cauterio'ue conſumeretur, pinguiorem & craſsiorem alteram indito & inurito, poſtea melle tinctũ arum ſuperponito. Cum autem uenam penitus nõ uſſeris, cum cruſta decidet, ſimiliter uena tenditur, tumet, completur, ſalit,

pulſ

pulsat'ue, cum sanguis subterfluit. Si uerò penit⁹ usseris, minus hęc omnia patietur. Quod si primo minus perusseris, rursus perurito, spõgiãq; uehementius sup uenã fluentẽ positã perurito. Crustę nanq; bene perustæ citius decidunt, cicatricesq; ad os perustæ pulchrius ueniunt. Cum autẽ ulcera sanescunt, rursus inflantur, tolluntur, rubent plusquàm cætera : sicutiq; eleuatæ tumentes'ue comparent, donec tempus superueniat transeat'ue, capite, pectore perusto similiter toto corpore ubi quid perustum sit. Cum autẽ oculi palpebras rades, terges'ue, milesię lanę puro flore circa fusum cõuoluto, radito tergito'ue, coronãq; oculi cõseruato custodito'ue, ne'ue ad cartilaginẽ usq; peruras caueto. Signũ autem erit te satis ussisse tersisse'ue, cum sanguis non syncerus purus'ue, sed cruenta aquosa'ue sanies defluet. Tunc medicamento linimento'ue aliquo, in quo æris flos sit, linito: post autẽ ustionem tersionemq; cum crustæ deciderint, ulceraq; purgata fuerint pullulabũtq;, lineam per uerticẽ, frontis'ue supremam partem ducito secatoq;: cumq; sanguis defluxerit, medicamento quod sanguinem sistat conglutinet'ue, linito. Huius autem & omnium ultimũ siue


prim

primū opus eſt, caput purgare, palpebraſq́; cum craſsiores turgidiores'ue ſunt, quàm ſuapte natura eſſe conſueuerint, ſubterſecare quàm leniſsime poteſt. Poſtea ferramentis non admodum candentibus cōſeruata non lęſa'ue pilorum natura radice'ue ſuperurere, tenui'ue æris flore peruſto ſpargere: cum uerò cruſta deciderit, ſicuti cætera curato. Cum autē palpebræ ſcabie laborabūt prurient'ue, æris floris glebulam cote terito, deinde palpebras eo linito ſpargito'ue, poſtea ſquamam æris tenuiſſime tritam ſucco uuæ acerbæ percolato, uaſe rubri æris commiſceto, donec ſicuti moretū, polenta'ue craſſeſcat: poſtea cum aruerit, trito tenuiter utitor. Luſcioſus nyctalopus'ue medicamentum elaterium potato, caput purgato, ceruicem poſteriore parte ſcalpro aperito, diuq́; ſic purgato premito'ue, deinde crudū bouis iecinoris fruſtulum unū duo'ue quàm maximū poterit melle tinctum deuorato. Si quis oculis ſanis non uideat, ſcalpro huic uerticem ſummam'ue frontem, ſiue bregma aperito, cutem ab oſſe remoueto, os ſecato, aquā educito, deinde curato, ſic ſaneſcet. Malo autem oculorum lippitudini'ue ſeu ophthalmiæ cōſueto paſsimq́; uagāti,

capitis

capitis uentriculiq́; inferioris purgatio cõ fert, ſanguinisq́; miſsio: ſi corpus patiatur habeat'ue, cucurbitulęq́; horum dolorum ſi quibuſdam admoueantur ſecundũ uenas. Cibus modicus eſto panis & aquę potio, locoq́; obſcuro cubato, proculq́; à fumo, igne, cæterisq́; luminibus obliquis: quę cuncta ualde caueto, modoq́; in dextera, modo in ſiniſtra cubato, caput ne ma defacito, ſiquidem nõ confert. Linimentũ uerò cataplaſma'ue, quod pręſertim deſtillationem compeſcat, non confert: ſi dolor non ineſt, tumoribus uerò qui nõ doleãt. poſt acria doloris medicamẽta data & inuncta cum dolor ceſſauit poſt medicamẽti inunctionem, tunc linire & emplaſtrare confert emplaſtratione ea, quæ tibi conferre uideatur. Sed neq; cõtentè diu contueri confert, lachrymam enim prouocat, cum oculus non poſsit aduerſus clara lumina reſiſtere. Sed nec etiam clauſis oculis diu iacere confert, ſi pręſertim calidum diſtillet, quod retentum calefacit, quamobrem cum non diſtillat & areſcit, tunc linito, quia confert.

FINIS.



ἹΠΠΟΚΡΆΤΟΥΣ ἈΦΟΡΙΣΜΩ͂Ν.

Τμήματα

Ζ.

Νικομήδους εἰς Ἱπποκράτην.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώεσκε λαῶν ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπανὶς εἰν ἀΐδῃ.


VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI,

1543.



ΙΠΠΟΚΡΑ-
ΤΟΥΣ ΑΦΟ-
ΡΙΣΜΟΙ.

*

Τμῆμα πρῶτον.



α ΒΙΟΣ βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς. ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή. ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

β Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίας καὶ τοῖς ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν. ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵην δεῖ γίνεσθαι γίνηται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

γ Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐ-

εξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐῶσιν. οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. Τουτέων ἕνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει, μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λαμβάνῃ τὸ σῶμα. μὴ δὲ τὰς συμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ. Ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι σφαλεραί, καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι σφαλεραί.

Δ Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. Καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαί.

ε Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες. διὸ μᾶλλον βλάπτονται. *πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον ἐν τῇσι λεπτῇσιν, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι

* Sic habet antiquus contextus, πᾶν γὰρ ὃ ἂν γίνηται μέγα γίνεται μᾶλλον, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι.

διαίτ

διαίτῃσι. διὰ τοῦτο οὖν καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ, αἱ πάνυ λεπταὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. Διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρῶν ἀδροτέρων.

ϛ Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται.

ζ Ὅκου μὲν οὖν κάταξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα καὶ τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. Ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἀδροτέρως διαιτᾷν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

η Ὅταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

θ Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου: καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον. καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

ι Οἷσι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα καὶ

λεπτῶς διαιτᾷν. Οἷσι δὲ ὕστερον ἡ ἀκμὴ ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου σμικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ ἠπιωτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή, ι
τὸ προστιθέναι γὰρ βλάβη, καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δη- ια
λώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτους, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἐπιδόσιες. ἤντε καθ' ἡμέρην, ἤντε παρ' ἡμέρην, ἤντε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίνονται. Ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύελον αὐτίκα ἢν ἐπιφαίνεται, ἀρχομένου μὲν βραχύνει, ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ δύσκριτα, καὶ εὔκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείαν φέρουσι ιβ
δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα τὰ μειράκια. πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ

αὐτέων

αὐτέων, ἃ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

ιδ Τὰ αὐξανόμενα τὸ θερμὸν ἔχει πλεῖστον τὸ ἔμφυτον, πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν. διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται), ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖς γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

ιε Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι. Ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον, καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πολύ, τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι καὶ οἱ ἀθληταί.

ις Αἱ ὑγραὶ δίαιται, πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

ιζ Καὶ οἷσιν ἅπαξ ἢ δὶς, καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω *κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι, καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει. *Antiq. καὶ κατὰ μέρος.

ιη Θέρους καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα

φέρουσι, χειμῶνος, ἥκιστα. ἦρος δεύτερον.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομέ- ιθ
νοισι μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν, ἀλλ᾽
ἀφαιρεῖν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρίσεων.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κ
κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμα-
κείῃσι, μήτ᾽ ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ᾽ ἐᾶν.

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύ- κα
σις, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων ταύτῃ
ἄγειν.

Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ κβ
*Al. τὰ δὲ πολλά. ὠμά. μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. * τὰ
δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Τὰ χωρέοντα, μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρε- κγ
σθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐ-
φόρως. καὶ ὅκου δεῖ ἄχρι λειποθυμίας ἄγειν,
καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν κδ
ἀρχῇσι, τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο
προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

Ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμ- κε
φέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δ᾽ ἐναν-

τία,

πία, δυσχερῶς.

Τμῆμα δεύτερον.

α ΕΝ ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. ἢν δὲ ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

β Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

γ Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, κακόν.

δ Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ.

ε Κόποι αὐτόματοι, φράζουσι νούσους.

ς Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος τὰ πολλὰ τῶν πόνων μὴ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

ζ Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ, τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

η Ἢν ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι τὸ σῶμα πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δέεται.

Τὰ σώματα χρὴ ὅκου τις βούλεται καθαί- θ
ρειν, εὔροα ποιέειν.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν ι
θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Ῥᾶον πληρῦσθαι ποτοῦ ἢ σιτίων. ια

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν νούσοισι ιβ
μετὰ κρίσιν,* ὑποστροφὰς ποιέειν ἔωθεν.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ ιγ
δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. ἡ δ' ἐπιοῦσα
εὐφορωτέρη ὡς ἐπιπολύ.

* Ἀλ. ὑποστροφώδεα.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ ιδ
τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ
πονηρὰ μεταβάλλῃ.

Ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώ- ιε
ματι ἐκφύεται, σκέπτεσθαι χρὴ τὰς ἐκκρίσιας. ἢν
γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει. ἢν δὲ
ὅμοιαι τοῖς ὑγιαίνουσι γίνωνται, ἀσφαλὲς τὸ
σῶμα τρέφειν.

Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν. ις

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλ- ιζ
θῃ, τοῦτο νόσον ποιέει. δηλοῖ δὲ ἡ ἴησις.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, τα- ιη

χέαι καὶ διαχωρήσιες γίγνονται.

ιθ Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προαγορεύσιες, οὔτε τοῦ ὑγείης, οὔτε τοῦ θανάτου.

κ Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσι ξηραὶ γίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι ἀπογηράσκουσιν ὑγραίνονται.

κα Λιμὸν θώρηξις λύει.

κβ Ὁκόσα νοσήματα ἀπὸ πλησμονῆς, κένωσις ἰῆται. καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

κγ Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν ταῖς τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

κδ Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

κε Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι,* τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ, μακροί, καὶ μᾶλ-

* uel, ὡς τὰ πολλά.

λον

λον οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ κς
σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ κζ
πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

Τῶν πυρεσόντων μὴ παντάπασιν ἐπι- κη
πολαίως, τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρὸν. τὸ μὲν γὰρ, μῆκος νόσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κι- κθ
νεῖν, κίνει. ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν, βέλτιόν ἐστιν.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη, πάντα ἀσθε- λ
νέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότατα.

Τῷ εὐσιτέοντι ἐξ ἀρρωστίης, μηδὲν ἐπι- λα
διδόναι τῷ σώματι, μοχθηρόν.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, λβ
κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπι-

διδ

διδόντες πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. Οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ σιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Ἐν πάσῃ νούσῳ τὸ ἐρρῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθὸν, τὸ δ' ἐναντίον, κακόν.

Ἐν τῇσι νούσοισιν, ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷς ἂν οἰκείη τῆς φύσιος καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

Ἐν πάσῃσι τῇσιν νούσοισι, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν, βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

ϛ Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως. καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

ζ Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

ΛΗ Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σῖτον ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλ

λον

λον αἱρετέον.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὁκόσα δὲ ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. λ

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν, οὐ πεπαίνονται. μ

